UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Universitätsbibliothek Paderborn**

# Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partitum Semitas seu partes, & Fasciculum Myrrhæ

**Caraffa, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1660**

Iter Coeli, Siuè Exercitia Spiritualia, Quibus Itur ad Cœlum. Pars Qvarta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49363

Visual Library

# ITER COELI,

*Siuè*

## Exercitia Spiritualia,

*Quibus*

Itur ad Cœlum.

*PARS QVARTA.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# EXERCITIVM PRIMUM.

## De Deuotione erga Paſſionem Chriſti D. N.

## Caput I.

### In quo conſiſtat hæc Deuotio.

DEuotio hæc præcipuè conſiſtit in imitatione: etenim, vt docet S. Tho- 2.2 q.82. art.2. mas, non ſolùm promptam dicit volun-tatem ad famulatum & obſequium Dei, & actus religionis; verùm etiam affectum paratum ad vnionem cum Deo, & eſt actus charitatis, cuius munus & officium eſt transformare a-mantem & in rem amatam, quod fit per imitationem. Hic ipſiſſimus Paſſionis Chriſti finis extitit, vt ſuo a-mirùm, exemplo nos transformaret in Deum. *Fuit Paſ-* 3 p. q.46. art 4. *ſionis redemptio & exemplum, vt quos habebat redemptio-nis ſeruos, haberet quoque conuerſationis diſcipulos.* S Greg p.3. paſt c.31. Porrò huiuſmodi imitatio, ſecundum Baſilium, exter-na, & interna Chriſti opera, & hæc præſertim reſpicere neceſſe eſt. Imitandæ quidèm ſunt nobis actiones Chriſti corporales; at plùs in particulari actiones ſpiri-tuales animæ, quales ſunt virtutes manſuetudinis, hu-militatis, benignitatis &c. quibus noſtræ creationis fini, qui eſt imitari virtutes Dei, ſatisfacimus, & dùm cal-

dem

ſi imitari non valemus in inuiſibili Diuinitate, imitemur illas in Humanitate viſibili Chriſti. Reformare non poterat Diuinitas, quemadmodùm optimè notat Bernardus, imaginem noſtram per peccatum deprauatam, niſi noſtræ ſeſe vniret plumbo Humanitatis. Hæc Diuinæ Sapientiæ ars eſt, Diuo inprimis Auguſtino viſa *Serm 22. de Mar.*
ſtupenda, vt adinuenerit modum & methodum coadunandi viſibilitatem hominis cum imitabilitate Dei, quarum vna ſine altera minimè nobis ſufficiebat: etenim Deus ſolus *imitandus erat*, at *viſibilis non erat*: homo ſolus *imitandus non erat, & viſibilis erat*: vt igitur haberemus exemplar imitabile, pariter & viſibile, *Deus factus eſt homo.*

Praxim huius imitationis docuit nos Apoſtolus his verbis: *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* E quibus verbis quinque eruuntur actus à nobis exercendi. *Hebr. 12 & S. Thom. ibid.*

Primus, *Aſpice*, conſiderando & meditando Chriſtum crucifixum, *& ſuſpirabis, & gratias ages*, ſecundum Bernardum, formando actus contritionis, gratiarum-actionis, dicendo ſemper corde, vel etiam ore; Domine, gratias tibi ago, & à te precor veniam.

Secundus, *Abſtine*, ab omni ſorte conſolationis non neceſſariæ, ad exemplum Chriſti, qui *abſtinuit ab omni gaudio, & nunquam ſibi complacuit.*

Tertius, *Suſtine*, cuncta mortificationis genera, Chriſti motus exemplo, qui *ſuſtinuit crucem confuſione contempta.*

Quartus, *Gaude*, propter ſpem præmii, ad exemplum Chriſti, qui *ſuſtinendo crucem promeruit gloriam, atque in dextera ſedis Dei ſedet.*

Quintus, *Trahe*, alios ad eandem deuotionem & imitationem, ad exemplum Chriſti dicentis: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* *Ioan. 12.*

Tandem, vt paucis plura complectar, in eo hæc conſiſtit imitatio, vt Chriſto aſſociatus in eadem cruce confixus perſiſtas, dicendo cum Apoſtolo: *Chriſto confixus ſum cruci*: procurando, quantùm mediante Diuinâ gratiâ fieri poteſt, vt vndequaque & in omnibus te conformes *Galat. 2.*

Crucifixo. Primò conformabis te membris Christi; ſecundò ſenſibus; tertiò potentiis animæ; quartò [illegible] bus; quintò morti. Et in hiſce ipſum imitaberis, cogitando, *à quo abſtinuit? quid ſuſtinuit? quid promeruit?* [illegible]

*Sup. Epiſt. B. Paul. Hebr. 12.* bene obſeruat S. Thomas. v.g. contemplando ſacratiſſimum caput Christi, conſidera, quomodo *abstinuit* à coronis ipſi à Mundo oblatis: *ſuſtinuit* coronas ſpineas & contumelias eidem oblatas & donatas à Patre; promeruit coronam æternæ gloriæ ſedens ad dexteram eiuſdem Patris ſui: & ſic diſcurrendo per alia Christi membra, ſenſus, potentias &c. procura ipſum imitari affectu ſaltem & deſiderio, ſi non in effectu. Hi veri ſunt conſendi devoti erga Paſſionem Christi, crucifixi, nempe, in Christo, quemadmodum idemmet Christus reuelauit cuidam

*Cæſarius lib. 8. c. 18.* Religioſo, vt refert Cæſarius, qui ſimul ſubiungit, tres clauos eſſe tres virtutes, videlicet, Humilitatem, Patientiam, & Obedientiam. Clauus Humilitatis crucifigit pedes, clauus Patientię manum ſiniſtram, clauus Obedientię dexteram, malleus incutiens hos clauos, eſt deſiderium gloriæ, & timor inferni.

## Caput II.

### *De Neceſſitate huius imitationis.*

*Epheſ. 1.* PRimò neceſſaria eſt propter modum prædeſtinationis noſtræ. *Prædeſtinauit nos Deus*, inquit Apoſtolus, *in adoptionem filiorum per Ieſum Christum, in ipſum.* Non tantùm, vt notat S. Thomas, *per Christum*, id eſt, per merita Christi, verùm etiam *in Christum*, ſcilicet, cum imitatione Christi. Quemadmodum enim Christus Dominus duplici prædeſtinatus fuit prædeſtinatione (vna ad gloriam, tanquam ad finem; alterâ ad Crucem, tanquam ad medium) ita nos quoque.

Secundò neceſſaria eſt propter creationem noſtram. Etenim eſſe creatũ ad imaginem Dei idem pro ſonat iuxta S. Thomam quod ad imitationem Dei. Et S. Bernardus ait: *Oportet quod ad imaginem eſt, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare.*

Tota

Tertiò imitatio hæc neceſſaria eſt propter conditio- S.Thom.
[...]r ipſiuſmet Paſſionis D.N. quæ, ſecundum S. Tho- 3 p.
[...]m, *operatur per modum cauſæ vniuerſalis*, poſtulantis,
[...] docendi effectus ergò concurſum cauſarum particu-
[...]um, veluti patet in Sole. Vndè virtus Paſſionis Chriſti
[...]iſſimedis ſanctiſſimis Sacramentis *ex opere operato*,
[...] mediantibus virtutum exercitiis *ex opere operantis*,
[...]appl catur.

[E]andem hanc neceſſitatem ſuadent & probant tituli,
[qu]ibus Chriſtus Redemptor noſter appellatur condeco-
[ra]turq; *Caput noſtrum, Frater, Idea*. Ergò ſi Chriſtus eſt Coloſſ 1.
[Cap]ut, & nos membra, tanquàm membra conformare
[d]ebemus Chriſto Capiti noſtro, ipſumque imitari,
[pri]mò in Cruce, deindè in gloria. Propterea dicitur in S.
[Eua]ngeliſta Joanne: *Solus Chriſtus aſcendit in cœlum*: Cap 3.
[...]m, vt docet S. Auguſt. nos nõn aſcẽdemus, *niſi facti*
[eius] *membra*. Et ſi Chriſtus eſt Frater noſter primogeni-
[tus] Filius naturalis Patris; nos Filii adoptiui ipſum imi
[tari d]ebemus: ſiquidem iuxta S. Thomæ principium,
[partici]patiuum eſt tale per imitationem eſſentialis; *Sic*
[ign]*itum eſt tale per ignem*. Et ſi eſt Idæa noſtra creatiua S Thom. 3 p.q 3, art. 8
[&] reformatiua, ipſe quoque nobis imitandus eſt, nam
[iux]ta eundem S Doctorem *per eandem formam artis, quâ*
[fabric]*atur vas, ſi collapſum fuerit, reſtauratur*. Deniq; in-
[ſigni]tur Chriſtus titulo Domini & Magiſtri, vt nos ſerui
[&] diſcipuli ipſius veſtigiis inſiſtamus: *Exemplum dedi* Ioan 13.
[vobis], *vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*.

Hunc in ſcopum collimabat Saluator docens & ex-
[hort]ans frequenter diſcipulos ſuos, vt Paſſionis ſuæ me-
[mori]am, à qua huiuſmodi dependet imitatio, indelebili
[cha]ractere cordibus ſuis gererent inſculptam. De Chri-
[ſto] ait S. Marcus; *Docebat autem diſcipulos ſuos, & dice-* Cap.10.
[bat] *illis: quoniam Filius hominis tradetur in manus homi-*
[num], *& occident eum, & occiſus tertia die reſurget; at illi*
[ign]*orabant verbum & timebant interrogare eum*. Et in S.
[Luca] ipſemet Chriſtus ſuis dixit diſcipulis, *Ponite vos* Cap.9.
[in c]*ordibus veſtris ſermones iſtos; Filius hominis futurum*
[eſt v]*t tradatur in manus hominum; at illi ignorabant ver-*
[bum] *iſtud, & erat velatum ante eos, vt non ſentirent illud,*
[& t]*imebant eum interrogare de hoc verbo*. Erat ipſis ab-
[ſcon]ditũ, ait S. Chryſoſt. quia doctrinæ huius, quam tra-

 debat Chri-

Chriſtus, corticem ſolùm intelligebant, non penetrabant, nec capiebant Paſſionis myſterium, quam finem ſuum & emolumentum, quod cauiat in animo; tempore verò Pentecoſtes cum aduentu Spiritus ſancti Apoſtolis reuelatum fuit hoc myſterium.

In aliis quoque S. Scripturæ locis frequenter hoc idem repetebat myſterium, & inculcabat Apoſtolis,
Cap. 20. uti in S. Matthæo: *Secretò dicebat illis: Filius hominis tradetur Gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum & tertiâ die reſurget.* Et in aliis locis ſimili-
S. Chryſoſt. in hunc locum. bus, vt, ſicuti notat & aduertit S. Chryſoſtomus, *Paſſionis myſterium frequentiùs repetitum altiùs in mentem diſcipulorum inſideret.* Eandem Paſſionis Chriſti memoriam commendat plurimùm Scriptura veteris teſtamenti:
Thren. 3.15 *Recordare paupertatis & transgreſſionis meæ, abſynthii & fellis.* Reſpondet anima Chriſtiana:
Thren. 3.20 *Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Huius enim memoriæ ſubſidio deficit animus, inordinatus, videlicet, eius affectus. Eandem doctrinam tradiderunt omnes ſacri Doctores & verbis, & exemplo. Quocirca pium S. Anſelmi ſecutus conſilium & monitum, pro-
S. Anſelm. lib. 1. medit. c. 5. poſitum formalis, vt hæc memoria *ſit continuum viaticum tuum, quia per hoc, & nonniſi per hoc, & tu manebis in Chriſto, & Chriſtus in te, & in futura vita plenum erit gaudium tuum.*

## Caput III.

### *De effectu huius imitationis, quæ eſt Beatitu-do noſtra in terris, ſecuraq; arrha & participatio Beatitudinis futuræ.*

DUo ſunt obiecta noſtræ Beatitudinis: Chriſtus in throno Crucis, qui eſt obiectum Beatitudinis viæ, & Chriſtus in throno gloriæ, qui eſt obiectum Beatitudinis patriæ. Beatitudo namque nihil aliud eſt, quam perfecta quædam poſſeſſio & imitatio noſtri finis, & exemplaris, quod in terra aliud non eſt, niſi Chriſtus
Ioan. 13. crucifixus. *Exemplum dedi vobis, vt, quemadmo-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſecit, ita vt vos faciatis. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis,* S. P. t. 1. 2.
*vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Si,* 14. 1. 3.
*benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud De-*
*um, in hoc enim vocati eſtis. Si quid patimini propter*
*iuſtitiam, Beati.* Quod ſi duas velimus diſtinguere
Beatitudines in terra, dicemus Chriſtum crucifixum no-
bis eſſe Beatitudinem obiectiuam: tribulationem
& crucem, quæ Chriſto crucifixo nos coniungunt, eſſe
Beatitudinem formalem. Inſuper, Chriſtus ſimul eſt
Via & Vita (*Ego ſum via, veritas & vita*) Via, ſecundum Ioan. 14.
Humanitatē paſſam: Vita, ſecundū Humanitatē glorifi-
catā. Imitatio illius, tanquam Viæ, beatos nos efficit in
terra: imitatio & fruitio ipſius, tanquam Vitæ, nos reddet
beatos in cœlo. Hæc fuit illa ſublimis doctrina, quā Deus
docuit Moyſen. *Videbis poſteriora mea: faciē autem meam* Exod 33.
*videre nō poteris.* Petebat Moyſes Beatitudinē patriæ, vi-
ſionem claram Dei. Reſpondit ei Dominus: hæc eſt Bea-
titudo, quæ te expectat in altera vita: in præſenti *poſte-*
*riora mea videbis* beatus eris, aſt Beatitudine viæ quo-
uſque te conformaueris futuræ meæ Humanitati.
Hæc eſt igitur excellentia tribulationis & crucis: vt
non tantum in futura vita, verum etiam in præſenti ad
beatam vitam animos noſtros erigamus & ſublcuemus.
Quod ſi cauſam quiſpiam expeteret, reſponderet Caie-
tanus, quia *mala pœna aſſumpta à Verbo in propria perſo-* 3 p q. 46.
*na ſunt Deificata*: vnde mirum non eſt, quod eorun- art. 1.
dem malorum pœnæ participes effecti, beatificemur ac
deificemur. Quapropter idem Doctor ſubiungit:
*Tribulatio poſt Paſſionem Chriſti facta eſt amabilis, de-*
*lectabilis, atque delectabilis ſecundùm ſeipſam; ſed ani-* S. Thom.
*malis homo non percipit quæ Dei ſunt: palato enim non* ibid.
*ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis: & oculis ægris*
*odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.*
Tribulatio non ſolùm Beatitudinis præſentis gaudet
priuilegio; ſed etiam arrha ſecura eſt Beatitudinis fu-
turæ. *Ibi eſt ſecura expectatio futuræ Beatitudinis, vbi* S. Leo ſerm.
*eſt participatio Dominicæ Paſſionis.* Vnde tribulatio de Paſſ.
meritò appellatur flos, qui producit fructum æternæ vi-
tæ. *Afflictiones flores ſunt bonorum, quæ exſpectamus.* Nazianz.
Non ſolum arrha eſt, ſed participatio etiam futuræ



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1.2. q. 96. art. 2. Gloriæ. Duas S. Thomas diſtinguit ſpecies Beatitudinis, meriti, nimirum, & participationis tribulatio autem meretur duntaxat Beatitudinem futuram; verùm communicat quoque animabus conſolationem ſpiritualem, quæ eſt illius participatio.

2. Cor. 1. *Sicut abundant*, dicebat Apoſtolus, *Paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Et alibi;

2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Et Pſalmiſta;

Pſal. 93. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Quod idem eſt dicere; iuxta menſuram mortificationis carnis creſcit conſolatio ſpiritus.

Ex hucuſque dictis colligitur, qua ratione Imitatio Chriſti ſit neceſſaria, quamque glorioſum ſit, nosque efficiat beatos pati pro Chriſto. Quapropter ſuſtinendarum tribulationum occaſiones, quæ nobis obtingunt, minimè fugiendæ ſunt; ſed tanquam gratiæ è manu Dei ſuſcipiendæ, non ſolùm patienter, ſed etiam lætanter, idque, quantùm fieri poteſt, ſecundùm ſuperiorem partem animæ. Et ad imitationem animarum purgatorii, nos,

De 3. gen. 60 fol. 88. inquit S. Bernardus, non, quia patimur contriſtari, ſed potiùs gaudere & lætari debemus; hisque namque pœnis mediantibus tranſimus ad gloriam. Et quamuis in vita hac noſtra ſecundùm partem inferiorem poſſimus aliquo triſtitiæ indulgere locum; attamen plùs nobis gaudendum ſecundùm partem ſuperiorem, propter bona inæſtimabilia, noſtramque Beatitudinem, quam nobis confert tribulatio. Pone tibi ob oculos Chriſti crucifixi imaginem; attente conſidera, vt tuæ in terra Beatitudinis obiectum; inſpice & reſpice externas corporis plagas, dolores internos animæ. Exemplar eſt, quod tibi imitandum proponitur; & quantùm aberis ab hac imitatione, tantundem diſtabis à tua *Beatitudine* & perfectione. *Aſpicientes*, igitur, *in auctorem fidei*, amplectamur veram Paſſionis Chriſti deuotionem, quæ conſiſtit in imitatione, *aſpiciendo, abſtinendo, & ſuſtinendo*, veluti ſupra diximus, per merita Sanguinis Chriſti, eiusque ſanctiſſimæ Matris, Amen.

Sequitur compendium quoddam Paſſionis, materiæ meditationis inſeruiens, cum alia quadam meditatione per ſingulos dies ſeptimanæ diſtributâ; ac modo ...

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

…di S. Bonauenturæ. Quibus ſubnectitur Deuotio ſe-
…m effuſionum Sanguinis Redemptoris noſtri.

# Cap. IV.

## *Compendium Dominicæ Paſſionis.*

## In Cœna,

1. Lauit pedes, & ad Petrum repugnantem dixit; *Si …n lauero te, non habebis partem mecum.* *Ioan. 13.*

2. Docet verbo, quod prius docuerat exemplo. *Scitis, …d fecerim vobis. Vos vocatis me Magiſter & Domine; …benè dicitis; ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare …des. Exemplum enim dedi vobis, &c.*

3. Notat proditorem. *Amen dico vobis, quia vnus ve- …rum me traditurus eſt.* Et interrogatus à Ioanne, re- …ondet Dominus; *Ille eſt, cui ego intinctum panem por- …ero. Et dedit, & poſt buccellam introiuit in eum Sata- …as.* Væ accipientibus intinctum panem conſolationis …n hac Vita. *Matth. 26.* *Ioan. 13.*

4. Contendunt Apoſtoli de primatu, Exhortatur Do- …minus ad Humanitatem exemplo ſui, & promiſſione …præmii. *Reges Gentium dominantur; vos autem non ſic; …ed, ſi quis maior eſt in vobis, fiat ſicut minor. Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Et ego diſpono vo- …bis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & …bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* *Luc. 22.*

5. Prædicto proximæ Paſſionis. *Cùm ergò exiſſet Iu- …das, dixit Ieſus; Nunc clarificatus eſt Filius hominis; & Deus clarificatus eſt in eo. Et Deus clarificabit eum in ſe- …metipſo, & continuo clarificabit eum.* *Ioan. 13.*

6. Mandatum de Charitate. *Mandatum nouum do vo- …bis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, & vt vos dili- …gatis inuicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli …mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* *Ioan. 13.*

7. Prædictio negationis Petri. *Quò ego vado, vos nõ po- …teſtis venire.* Simon Petrus: *Domine quò vadis?* Ieſus; *Quo*

*vado, non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea.* Pe-
*trus; Quare non poſſum te ſequi modo? animam meam*
*pro te ponam.* Reſpondit ei Ieſus: *animam tuam pro*
*me pones? Amen, Amen dico tibi; non cantabit gallus,*
*donec ter me neges.*

*Luc.22.* 8 Inſtitutio Euchariſtiæ. *Deſiderio deſideraui hoc*
*paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Dico enim*
*vobis, qui ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in*
*Regno Dei.* Et intellige de manducatione ſpirituali, per
fruitionem, vt in Gloria. *Et accepto pane, &c. dixit:*
*Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in*
*meam commemorationem.* Similiter de Calice. Et Iu-
das erat in menſa.

## In Via.

1. Prædictio ſcandali, & perturbationis. *Hymno*
*Matt. 26.* *dicto, exierunt in Montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus:*
*Matt. 14.* *Omnes vos, &c.* Petrus: *Si oportuerit ſimul commori*
*tibi, non te negabo. Similiter & omnes dicebant.* Et Pe-
tro prædicitur negatio. Ait autem Dominus: *Simon,*
*Luc. 22.* *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triti-*
*cum ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu*
*aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Et dixit eis:
*Luc. 22.* *quando miſi vos ſine ſacculo, & perâ, & calceamentis,*
*numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*
*Dixit ergò eis: Sed nunc, qui non habet, vendat tunicam*
*ſuam, & emat gladium. Adhuc hoc, quod ſcriptum eſt,*
*oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Ete-*
*nim ea, quæ ſunt de me finem habent. At illi dixerunt:*
*Domine, ecce duo gladii hic: At ille dixit eis: Satis eſt.*
Hoc dixit tentans eos, quomodo crederent eius omni-
*Ioan. 6.* potentiam: Sicut cum dixit ad Philippum, *vnde eme-*
*mus panes?* vbi ſubdit Euangeliſta, *hoc autem dicebat*
*tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.*

2. In ſermone poſt cœnam exhortatur Diſcipulos,
eiſque varia virtutum documenta impertitur. 1. Ad
fidem. *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Cre-*
*Ioan. 14.* *ditis in Deum, & in me credite.* 2. Ad ſpem. *In domo Pa-*
*tris*

*meimanſiones multæ ſunt. Vado parare vobis locum.*
AdCharitatem *Si diligitis me mandate mea ſeruate.*
Adpacem. *Pacem relinquo vobis; pacem meam do*
*non quomodo mundus dat, ego do vobis.* 5. Ad vnio- **Ioan. 15.**
mcum Christo. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut*
*non poteſt ferre fructum à emetipſo, niſi manſerit*
*Sic nec vos niſi in me man eritis.* 6. Ad Chari- **Ioan. 15.**
fraternam *Hoc eſt præceptum meum: vt diliga-*
*inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hâc dilectionem*
*habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 7.
ferendasiniurias. *Si mundus vos odit; Scitote. quia*
*priorem vobis odio habuit.* 8. Promiſſio Paracliti. **Ioan. 15.**
*Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Para-*
*non veniet ad vos* Promiſſio æterni gaudii. *Tri-* **Ioan 16.**
*vestra vertetur in gaudium: & gaudium veſtrum*
*tollet à vobis.* 10. Promiſſio exauditionis à Pa **Ioan. 16.**
*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vo-*
11. Oratio pro glorificatione. *Pater, venit hora,*
*fica Filium tuũ, vt Filius tuus clarificet te. Ego te cla-*
*ui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mi-*
*faciam. & nunc clarifica me tu Pater apud temeti-*
*claritate, quã habui, priusquã mundus eſſet apud te.*
12. Oratio pro ſalute Apoſtolorum. *Pater ſancte, ſerua* **Ioan. 17.**
*nomine tuo, quos dediſti mihi; vt ſint vnum, ſicut &*
*Pro eis ego ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſancti-*
*in veritate.* 13. Oratio pro ſalute omnium fideli-
*Non pro eis rogo tantùm: ſed & pro eis, qui credituri*
*per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut*
*Pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*
*Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint*
*cum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mi-*
*quia dilexiſti me ante conſtitutionem Mundi.*

## In Horto.

Primò pro nobis contriſtatur. 2 In oratione proſter-
nitur. 3. Ab Angelo confortatur. 4. Sudore ſanguinis
perfunditur. 5. Oſculo traditur. 6. A Diſcipulis dere-
linquitur. 7. A Iudæis apprehenditur & ligatur.

## In Domo Annæ.

1. Interrogatur de doctrina, & de Diſcipulis
Ioan. 18. 2. Reſpondet : *Ego palam locutus ſum mundo in terrga eos, qui audierunt.*
3. Percutitur alapa. *Sic reſpondes Pontifici?*

## In Domo Caiphæ,

1. Terà Petro negatur.
Ioan. 18. 2. Accuſatur, & multi teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum, & Ieſus tacebat, & nihil reſpondit.
3. Adiuratur *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas*
Mar. 14. *nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei. Dixit illi Ieſus: Tu dixiſti Ego ſum, & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.*
4. Iudicatur reus mortis. Sacerdos ſcindit veſtimenta ſua, dicens : *Quid vobis videtur? Reus eſt mortis.*
5. Conſpuitur, velatur, colaphis, & alapis cæditur.

## In Domo Pilati.

Luc. 23. 1. Accuſatur. *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.*
Matt. 27. 2. Nihil reſpondit *Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil reſpondit, ita vt Præſes miraretur vehementer*
3. Examinatur. *Tu es Rex Iudæorum?* Reſpondit
Ioan. 18. Ieſus : *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum; vt teſtimonium perhibeam veritati*
4. Innocentia Chriſti *Dixit Pilatus ad Principes Sacer-*
Luc. 23. *dotum, & turbas: nihil inuenio cauſæ in hoc homine.*
5. Magis accuſatur. *At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à*
Luc. 23. *Gallilæa vſque huc.*

## In Domo Herodis.

1.Interrogatus nihil reſpondet.
2.Accuſatur à Principibus Sacerdotum, & Scribis.
3.Spreuit illum Herodes cum exercitu ſuo.
4.Illuditur veſte albâ, & remittitur ad Pilatum. *Luc. 23.*
5.Facti ſunt amici in ipſa die Herodes & Pilatus.

## In Domo Pilati.

1.Declaratur innocens. *Nullam inuenio in eo cauſam, ſed neque Herodes.*
2.*Vultis, dimittam vobis Regem Iudæorum? Non hunc, ſed Barabbam.*
3.Dixit tertiò. *Quid mali fecit? Nullam in eo inuenio cauſam* Magis inſtabant, vt crucifigeretur. *Ioan. 18.*
4.Flagellatur.
5.Spinis coronatur, purpurâ induitur, & arundo ponitur in dextera eius.
6.Conſpuitur. 7. Percutitur eius caput arundine. *Matth. 27.*
8.Et ſalutabant genuflexi, & illudentes dicebant. *Aue Rex Iudæorum*, & dabant ei alapas. *Matth. 15.*
9.Oſtenditur populo. *Ecce Homo.*
10.Cõdemnatur. *Tradidit illu Ieſum, vt crucifigeretur.* *Ioan 19.*
11.Exiuit baiulans ſibi crucem.
12.Adiuuatur à Cyrenæo: *Luc. 23.*
13.Conuertitur ad mulieres. *Nolita flere ſuper me, ſed ſuper vos.*

## In Monte.

1.Potatur vino. *Dabant ei bibere myrrhatum vinum, cum felle miſtum: & cum guſtaſſet, noluit bibere.* *Marc. 15.*
2.Crucifigitur, & cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris. *Mar. 15.*
3.Diuidunt veſtimenta.
4.Ponunt titulum
5.Blaſphemabant *Alios ſaluos fecit: ſeipſum ſaluum facere non poteſt. Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.*

6. Tenebræ ab hora ſexta ad horam nonam,

Ioan. 17. 7. Stabat Mater Ieſu iuxta Crucem.

8. Septem verba: Orat, Promittit, Commendat, Sitit, Derelictus, Conſummatum, Moritur.

9. Prodigia in morte Chriſti, in velo ſciſſo, terræ motu, petris ſciſſis, monumentis apertis, reſurrectione mortuorum.

10. Propter hæc, quæ fiebant, conuertitur Centurio dicens: *Verè Filius Dei erat iſte*, & turbæ percutientes pectora ſua reuertebantur.

11. Lanceâ latus eius apertum, & continuò exiuit ſanguis & aqua.

12. Deponitur de Cruce, & ſepelitur à Ioſeph ab Arimathia, in ſepulchro ſuo nouo, quod exciderat in petra.

13. Et munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

# CAP. V.

## *Meditatio Paßionis Chriſti.*

## Pro Die Dominica.

### *Chriſtus in Horto: Timet, Orat, Exhortatur.*

1. Cœpit pauere, & tædere, contriſtari, & mœſtus eſſe.

Non mea, ſed tua voluntas fiat.

3. Quid dormitis? ſurgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

## Pro die Lunæ.

### *Chriſtus in domo Annæ. Examinatus. Alapis cæſus. Corrigit.*

1. Pontifex interrogauit Ieſum de diſcipulis, & de doctrina

octrina. Reſpondit Ieſus: Egó palam locutus ſum
undo.

2. Vnus miniſtrorum dedit ei alapam dicens: Sic re-
ondes Pontifici?

3. Si male loquutus ſum, teſtimonium perhibe de ma-
: ſi autem benè, quid me cædis?

## Pro die Martis.

*Chriſtus in domo Caiphæ. Coniuratus. Illuſus. Negatus.*

1. Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum
um, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit
ſus: Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, videbitis
ium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & veni-
em in nubibus cœli.

2. Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens:
laſphemauit. Quid vobis videtur? At illi reſpon-
ntes dixerunt: Reus eſt mortis. Et illuſerunt ei,
utis, colaphis, palmis, velamine, blaſphemiis.

3. Reſpondit Petrus: Non noui hominem; confirma-
uit idem iurando & deteſtando.

## Pro die Mercurii.

*Chriſtus in domo Pilati. Quæſtio & Reſponſa contra Chriſtum. Eiuſque ſilentium.*

1. Quam accuſationem affertis aduerſus hominem
nc?

2. Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram,
rohibentem tributa Cæſari, & dicentem, ſe Chri-
um Regem eſſe.

3. Summi Sacerdotes accuſabant eum in multis Ieſus
em nihil reſpondebat, ita, vt miraretur Præſes vehe-
enter.

Pro

## Pro die Iouis.

*Chriſtus in domo Herodis & Pilati. Illuſus, Poſtpoſitus, Condemnatus.*

1. Spreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.

2. Reſponderunt ad Pilatum: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabbam.

3. Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. Milites plectentes coronam de ſpinis, &c. Tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur.

## Pro die Veneris.

*Chriſtus in monte Caluariæ. Baiulat Crucem. Crucifigitur. Lanceâ latus eius aperitur.*

1. Baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.

2. Et crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris. Et ſtabat Mater Ieſu iuxta Crucem.

3. Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.

## Pro die Sabbathi.

*Chriſtus in ſepulchro. Depoſitus. Sepultus. Cuſtoditus.*

1. Ioſeph autem ab Arimathia petiuit corpus Ieſu, & depoſitum inuoluit illud in ſindone munda.

2. Poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, ligatum linteis, cum aromatibus.

3. Et milites abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

## *Modus meditandi, ex D. Bonauentura.*

Quis eſt, qui patitur? qualis eſt, qui patitur? quantus eſt, qui patitur? quâ de cauſâ patitur? quali forma patitur? quanta ſunt, quæ patitur? quid ex hoc conſequitur, quod patitur? *Incend. Amoris. c. 2. p. 3.*

1 Conſidera, Quis eſt &c.? Deus.
2 Qualis eſt &c.? Bonus.
3 Quantus eſt, &c.? Immenſus.
4 Qua de cauſa &c.? Tui amoris.
5 Quali forma, &c.? Vt agnus.
6 Quanta ſunt, &c.? Innumera.
7 Quid ex hoc conſequitur, quod patitur? Septem ſignacula clauſa aperta ſunt.

Deus admirabilis, Spiritus intelligibilis, Mundus ſenſibilis, Paradiſus deſiderabilis, Infernus horribilis, Virtus laudabilis, Reatus culpabilis. Sic per ſeptem quaſi gradus aſcenditur ad meditationem Chriſti Crucifixi.

Ex ſeptem inſuper profuſionibus ſanguinis Chriſti vnam qualibet die per ſeptimanam memoria recoles.

Primam in Circumciſione factam.

Secundam ſub Oratione facta in horto.

Tertiam, in flagellatione.

Quartam in Coronatione ſpinarum.

Quintam, quando veſtibus fuit ſpoliatus ſupra montem Caluariæ.

Sextam in Crucifixione.

Septimam & vltimam, quando lancea latus eius apertum fuit.

Et in qualibet tanquam in efficaciſſimo balneo exorabis ſanctiſſimam Virginem, vt purificet animam tuam. *Lauare & mundaberis.* *4. Reg. c. 5.*

# Cap. VI.

## *De Prærogatiuis Paſſionis Chriſti.*

### I.

S. Thom. 3. p. q. 46. art. 12.

Cyrill. 1. Ep. Synod. Conc. Eph.

Eſt Paſſio Diuina. Deus enim eſt, qui patitur, non in ſe; ſed in natura humana: nam operatio, ſiue actiua, ſiue paſſiua, attribuitur perſonæ, non naturæ, vt definitur in Concilio Epheſino: *Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, crucifixum carne, anathema ſit.*

### II.

Eſt Paſſio infinita. Etenim ſi eſt Paſſio Diuina procedens à ſuppoſito Diuino, neceſſariò hinc ſequitur, eam quoque eſſe infinitam & valoris infiniti, tàm in merito, quàm in ſatisfactione & impetratione. Vndè eſt *infinita perſonaliter*, quamuis ſit finita *naturaliter* in ſua natura & entitate.

### III.

Eſt Paſſio ſufficientiſſima ad ſatisfaciendum, impetrandum ac merendum gratiam habitualem pro peccatis totius Mundi, aliorumque Mundorum infinitorum, ſi darentur, & à parte rei exiſterent.

### IV.

S. T. q. 32. art. 1.

Coloſſ. 1.

Eſt Cauſa vniuerſalis noſtræ ſalutis. Quare pro efficacia poſtulat cauſarum particularium influxum, qui eſt noſtra cooperatio mediis ſanctiſſimis Sacramentis & exercitiis virtutum. Et in ordine ad efficaciam, *adimpleo* (de ſe ita loquebatur Apoſtolus) id, quod deerat Paſſioni Chriſti. Quapropter porta cœli eſt porta duarum clauium, quarum vna non aperit abſque concurſu & ſubſidio alterius: Crux Chriſti eſt noſtra: Paſſio Chriſti, noſtraq; cõpaſſio & cooperatio ſimul concurrant, neceſſe eſt.

V. Eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## V.

Eſt voluntaria. Quia Humanitas tanquàm organum, *q. 17. art. 1.*
…iunum inſtrumentum Diuinitatis poterat Iudæorum
…are voluntatem, aut impedire eorum vires, aut na-
…m conſeruare illæſam ab omni damno & nocumen-
…. Quare non fuit voluntaria ſolùm *in acceptatione*; vè-
…m etiam *in ipſa actuali perpeſſione*.

## VI.

Eſt Conueniens, & quidem conuenientiſſima. Quia *q. 46. art. 3.*
…iante Paſſione non obtinemus duntaxat ſalutem;
… etiam efficaciſſima incentiua ad perfectionem & ſan-
…tem: veluti ſunt amor, exemplum, meritum, Sanguis
…riſti, pretium noſtræ Redemptionis, victoria contra
…monem, quemadmodum exponit S. Thomas.

## VII.

Eſt Paſſio ſummè doloroſa, tàm quò ad externos cor- *q. 46 art. 8*
…s, quàm quò ad internos animæ dolores.
Dolores externi fuerunt intenſiſſimi: primò, *ratione*
…i, vt fuère ſpinæ, flagella, claui. Secundò, *ratione*
…, doloroſiſſimi & ratione tactus in ſummo gradu
…ui. Tertiò, *ratione puritatis doloris*, omnis nam-
…eculabat conſolatio & , ſecundùm aliquos, omne
…at gaudium etiam beatificum. Quartò, propter
…m Diuinam in peccatum. Quintò, propter odium
…monis in Chriſtum. Et denique, uti nonnulli volunt,
…pter patiendi deſiderium augebatur dolor cum in-
…tione voluntatis *ſupra vires inſtrumenti dol riferi*.
Dolores quoque interni intenſiſſimi fuère propter
…ehenſionem offenſæ Diuinæ, damnationis anima-
…, Paſſionis & Mortis ſuæ futuræ.

## VIII.

Eſt Paſſio ſummè quoque ignominioſa Ideò n. Crucis

 mor-

mortem elegit, quia non tantùm ſummi doloris, verùm
etiam ſummæ infamiæ ignominiæque ſupplicium erat:
tormentum, vtpotè, infamibus & facinoroſis hominibus
q. 46. art. 2. debitum. Præterea, vt aduertit S. Thomas, ſupplicium
Crucis erat formidabile ſimulac execrabile: formidabi-
le, ob ſummum dolorem, quem apportabat: execrabi-
le, propter ſummam ignominiam. Et ſecundùm
Caietanum, quamuis dolor Christi finem cum
Morte eius acceperit; infamia nihilominùs & igno-
minia in opinione hominum remanſit, & minimè finita
fuit: ſiquidem multi Chriſtum non purum hominem
duntaxat; verùm etiam ſeductorem ac falſarium exiſti-
marunt: vt nos doceret, qua ratione mortificandum
eſſet deſiderium famæ & gloriæ humanæ.

## IX.

Paſſio continua. Quia à principio ſuæ Conceptio-
nis ſumpſit exordium, quantum ad paſſionem & appre-
henſionem dolorum internorum, offenſarum Dei, da-
Marc. c. 10 mnationis hominum, Mortis & Paſſionis ſuæ futuræ.
Quapropter cùm loquitur in S. Evang. Marco de Calice
Paſſionis ſuæ, non loquitur de eo, tanquàm de re futura,
ſed tanquàm de re præſente: *Poteſtis bibere Calicem,
quem ego bibo?*

## X.

q. 50. art. 1. Paſſio mortalis, quæ Chriſto intulit mortem. Etenim,
vt docet D. Angelicus, optimus modus pro alio ſatisfa-
ciendi eſt, ſi eam in ſe ſuſcipiat pœnam, quam alter pro-
merebatur. Qua de cauſa Chriſtus pro nobis cupiens
ſatisfacere, voluit acceptare mortem, quam nos prome-
rebamur. Ac propter eandem rationem ſubdit S. Tho-
mas, voluit anima eius deſcendere ad infernum: quia
homo per peccatum non mortem duntaxat, ſed etiam
deſcenſum in abyſſum inferni promeruerat. Et hoc in-
telligendum de Morte Chriſti *in fieri*, quæ eſt eadem
cum Paſſione: tunc enim anima, quæ eſt principium
meriti, adhuc erat in corpore; & non de Morte in facto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe, quo tempore in corpore Chriſti non erat anima, ſed ſolùm Diuinitas, ac proinde noſtram ſalutem cauſare non poterat per viam meriti, ſed tantùm per viam efficientiæ. *q. 47. art. 2*

## XI.

Paſſio præcepta à Patre, *& ſub præcepto.* Siquidem Chriſtus tanquàm homo Patre inferior erat: ergò tanquàm homo præceptū habere poterat. Et quod de facto habuerit, apertè teſtatur S. Scriptura: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* *Ioan. 14.* *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* *Ioan 10.* *Et hoc mandatum accepit à Patre, factus obediens vſque ad mortem.* *Philip. 2.* Et obedientia formalis ſupponit præceptum. Et hoc præceptum patiendi & moriendi pro noſtra ſalute fuit Chriſto intimatum, ab eoque acceptatum in inſtanti Conceptionis ſuæ mediante ſcientiâ beatâ & infuſâ.

## XII.

Paſſio glorioſa. Quia cedit in ſummam gloriam & honorem. 1. Dei. 2. Humanitatis Chriſti, 3 Hominum, vti ſupra dictum fuit, & in particulari Beatiſſimæ Virginis, cui ſupra omnes reliquos Sanctos applicatum fuit meritum ſanctiſſimæ Paſſionis. Vti ſuo loco dixi.

## XIII.

Paſſio memorabilis. *Recogitate eum, qui talē ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem.* *1. Pet. 4.* Et: *Chriſto in carne paſſo, & vos eâdem cogitatione armamini.*

Hæc memoria continua erat in S. Franciſco, eamque fratribus ſuis, præſertim profecturis ad infideles commendabat in hanc formam: *Rogo vos, Fratres, quod ante animos veſtros ſemper habeatis Dominicam Paſſionem, quæ vos roborabit, & ad patiendum pro ipſo fortiter animabit.* *Opuſ. S. Franc. coll. 23.*

## XIV.

3.p q. 46. art. 5. Paſſio deſiderabilis Cuius rationem adducit Caie-
nus, quia mala pœnæ vt à Verbo aſſumpta in Chriſto fu-
erunt Deificata, vndè efficiuntur amabilia & deſidera-
bilia: Sicut à contrario ante Paſſionem Chriſti erant exe-
crabilia & odibilia.

## XV.

Paſſio, menſura noſtræ lætitiæ. Quia in tantum nobis
gaudendum eſt, in quantùm communicamus & partici-
pamus de Paſſione Chriſti, & non vltrà, iuxta dictum
1. Petr. 4. Petri Apoſtoli: *Communicantes Chriſti Paſſionibus gau-
dete: id eſt, ſecundùm quod communicatis*, vt explicat
Tertullianus. Quaſi diceret Apoſtolus: *In tantum gau-
dendum, in quantum communicatis: menſura vnius eſt
menſura alterius.* Et rationem illius reddit S. Iacobus
Iacob. c. 1. Apoſtolus, quia participatio Paſſionis Chriſti eſt omne
*& ſummum gaudium Omne gaudium exiſtimate fratres
mei, cùm in tentationes varias incideritis*: in quantum
ſunt medium propter finem ſummi gaudii æternæ glo-
riæ. Igitur, ſicuti ſpes gloriæ debet eſſe menſura noſtri
gaudii & lætitiæ; ita communicatio Paſſionis Chriſti,
quæ eſt veriſſimum medium ad eandem gloriam.

## XVI.

Paſſio Chriſti, Victoria contra ſpiritus infernales.
Coloſſ. c. 2. *Triumphans illos in ſeipſo.* ait Apoſtolus: *id eſt, in ſeipſo*
S. Tho. ib. *paſſo, crucifixo & mortuo*; eâdem namque crucifixione &
morte Chriſtus mortem intulit ſibi & Dæmoni. Loco
verbi huius, *triumphans*, legunt alii, *exemplauit*: dando
nobis exemplum, normam & modum, vt exponit Sanctus
Thomas, quo vincamus inimicos noſtros. (*in ſeipſo*)
Auguſt. de Agon. Chriſtian. *vincendo ſeipſum*: quia *ibi vincuntur inuiſibiles poteſtates,
vbi vincuntur inuiſibiles cupiditates*: tunc vincitur Dæ-
mon, quando vincuntur & mortificantur noſtræ paſſio-
nes.

## XVII.

Ultima prærogatiua Paſſionis Chriſti eſt, quod ſit confortatio afflictorum & tribulatorum. Spinæ noſtræ tribulationum *retuſæ ſunt in capite Chriſti*, ait Ter- *Tertull.*
tullianus, & in eo perdiderunt aculeum: vnde non pungunt, veluti primò pungebant: tùm quia ante Paſſionem eis inerat æternæ damnationis aculeus; tribulatio namque & afflictio tempore illo quaſi infernalium pœnarum principium erat; tùm etiam propter conſolationem, quæ propter merita Paſſionis Chriſti communicatur vobis in mortificationibus; etenim ſecundum dictum D. Auguſtini; *omnis conſolatio & illuminatio men-* *S. Auguſt. Man. c. 21.*
*tis in Cruce, & per Crucem.*

# CAP. VII.

## *Quod verum gaudium reperiatur in Imitatione Paſſionis Chriſti.*

C*Ommunicantes Chriſti Paſſionibus, gaudete.* hortatur S. Apoſtolus Petrus. Aſt primâ fronte hæc ſen- *1. Pet. 4.*
tentia Apoſtoli nonnullas patitur difficultates. Primò enim non videtur eſſe conformis rationi: ſiquidem tribulatio *eſt malum*, & malum vt malum nequit eſſe obiectum amoris & gaudii; ſed potiùs odii, doloris & triſtitiæ. Secundò; quia neq; etiam eſt conformis exemplo Chriſti, qui in horto paſſus fuit cum triſtitia & ſine vllo gaudio. Ad hæc reſpondetur ex doctrina S. Thomæ, *S. Th. opuſc 18. c. 22 p. 1, q. 28. art 2.*
neceſſe gaudii ſpecies: aliud enim eſt gaudium affectiuum, & eſt amoris effectus: aliud intellectiuum, & eſt effectus apprehenſionis vtilitatis obiecti. Per hanc diſtinctionem reſoluit idem S. Doctor aliud quoddam dubiū; quomodo, nimirùm, Sacramentum Altaris in ſe ibus ſit, *habens omnē ſaporem ſuauitatis*, cùm nō omnes in Communione talem experiantur dulcedinē. Præfatâ igitur diſtinctione ſatisfacit & reſpondet, quod *non omnes ſapiunt dulcedinem Diuinam per affectum deuotionis; ſed omnes ſapiunt per intellectum multa vtilitatis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quemadmodùm (& eſt eiuſdem S. Doctoris exemplum) medicina non eſt dulcis palato corporis; benè tamen palato rationis & mentis, in quantum conſideratur tanquàm cauſa ſalutis & ſanitatis. Ad eundem modum communio Paſſionis Chriſti non omnibus ſuppeditat materiam gaudii affectiui (neque de hoc gaudio loquitur S. Apoſt. Petrus) at omnibus ſubminiſtrat materiam gaudii intellectiui, de quo loquitur idem Apoſtolus; cuncti namque conſiderare poſſunt inæſtimabiles theſauros Gratiæ, Virtutum, & Gloriæ, quos lucramur in participatione Paſſionis Chriſti, & eiuſdem communicatione. Meritò igitur nos admonet Apoſtolus: *Communicantes Chriſti Paſſionibus, gaudete*: quando non nihil pro Chriſto ſuſtinetis, eximium illud & magnum bonum, quod ſecum confert paſſio iſta, conſiderate. Et

1\. *Pet.* 4.

hæc conſideratio vocatur gaudium, non ſolùm, quia eſſet cauſa gaudii, niſi tribulatio poneret obſtaculum; verùm etiam, quia eſt gaudium per æquiualentiam, tantam tribuens pacem & quietem in paſſione, ac ſi anima non tribulatione; ſed abundanti adimpleta eſſet gaudio. Hoc gaudium eſt in poteſtate noſtra, & ſemper, cum volumus, illud habere poſſumus & eſt gaudium cōſiderationis, conſiderando bona tribulationis, nō perſiſtendo in ſuperficiali apparentia mali eiuſdem tribulationis. Verum quantum debet eſſe hoc gaudium? Reſpondet S. Iacobus: *Omne gaudium, id eſt, ſummum gaudium*: quia *eſt de ſummo bono*, quod nos emimus per tribulationem. Et vult dicere, quod ſicut bonum, quod quis lucratur per Crucem, eſt omne bonum, quia eſt ſummum bonum; ita æſtimatio, pretium, amor, quo quis fertur erga crucem, pariter ſummus eſſe debet, & quaſi infinitus. Siquidèm iuxta doctrinam Doctoris Angelici, *idem eſt motus medii & finis*: eodem actu, eademque intentione amoris amatur ſalus & medicina propter ſalutem. In tantum igitur, & cum eadem intentione amoris debeo amare Gloriam & tribulationem, in quantum hæc eſt medium & cauſa illius. Quare pro exercitio, quando Dominus mediante quadam tribulatione te Crucis ſuæ facit participem, ſi neque cas habere gaudium affectiuum, exerce intellectiuum, conſiderando

*Iac.* 1.

*S. Th* 1. 2. *q.* 12. *art.* 4.

[illegible]do vtilitates & emolumenta in Cruce comprehenſa. [illegible]educuntur ad illa tria, iuxta tres actus hierarchicos, [illegible]mpe, *purgare, illuminare & perficere.* Quia tribula[illegible] te purgat ab omni peccati macula, te liberat à pœna, [illegible]oderatur paſſiones tuas, emundat & expurgat cor ab [illegible] affectu creato: inſuper illuminat te in cogitatio[illegible]umpſius, eminentiæ Dei, humilitatis & Paſſionis [illegible]: Denique te perficit in imitatione Chriſti, & [illegible] ad paſionem in præſenti, & quo ad gloriam infu[illegible].

Legitur de quodam ſancto Cæco quod viſu miracu[illegible] reſtituto ad inſtantiam & preces populi, & exindè [illegible] plaudente & iubilante populo gratiæ ergò Diui[illegible] receptæ, ipſe ſolus dolebat, & plangebat, adeò, vt [illegible] ad Deum fuderit preces, quatenùs *gratiam caci[illegible] ſibi reſtitueret*: vti & cum ſumma ſui ſatisfactione [illegible] obtinuit. Vbi notanda illa verba (*gratiam ca[illegible]*) non eam appelabat moleſtiam, aut incommo[illegible], vel etiam infortunium; ſed gratiam; cognoſcebat [illegible] fructum illius & vtilitatem. Pari modo tibi [illegible]dum eſt, quotieſcunque tibi ſurripitur amicus, ſa[illegible], aut aliis priuaris bonis, conſidera, totam eſſe gra[illegible] Dei: gratia eſt paupertas, gratia eſt infirmitas &c. [illegible] quaſi de tot, tantiſque beneficiis & gratiis Deo gratias [illegible], conformando te in omnibus ſanctiſſimæ eius vo[illegible].

Specul. exempl.

Verùm, vt penitùs huius doctrinæ inſpiciamus veri[illegible], circa dubio, quod quis adducere poſſet, re[illegible]ndebitur. Quis ſtatus eſt maioris perfectionis? il[illegible], qui patitur aliquid cū gaudio affectiuo, vel alte[illegible], qui patitur cum ſolo gaudio intellectiuo? Reſpon[illegible] hunc ſecundum ſtatum deſolationis, & puræ ſuf[illegible] eſſe perfectiorem: tunc ſiquidem derelicti ſu[illegible], non a gratia, ſed ſolùm à Dei conſolatione. Et qui[illegible] eſt maioris perfectionis, primò, quia in hoc ſtatu ſer[illegible]mus Deo *in veritate, id eſt, in puritate* gloriæ ſuæ, & [illegible] abſque ullo proprio commodo & vtilitate. [illegible]cundò, quia ſic nos ſimiliores reddimus derelictioni [illegible] in Cruce, in qua dixit: *Deus, Deus meus, vt quid [illegible] me?* & fuit derelictus non ab vnione, nec à

gratia, ſed tantùm à conſolatione Diuina. Tertiò, quia in illo magis acquiritur & exercetur humilitas: ſiquidèm, cùm bona exercemus opera absque perceptione gaudii in voluntate reſultandis, & conſolationis ſenſibilis redundantis in appetitum ſenſitiuum; humiliamus nos, operamurque, ac ſi non operaremur. Quemadmodùm ſi quis ſe cibo reficeret, nec tamen aduerteret, vel dormiret; cibi ſentiret quidèm effectum, quamuis non ſe cibo refectum fuiſſe exiſtimaret. Hinc originem ducit Humilitas Sanctorum: etenim in hoc ſtatu totali derelictionis & deſolationis nullam percipiunt conſolationem ex virtutis exercitio, id eſt, eſto egregia peragant virtutum opera, nihil tamen ſe feciſſe opinantur.

*Chron. lib. 2. c. 48.* Concludam hoc caput celeberrimâ illâ S. Francisci doctrinâ datâ fratri Leoni Peruſio proficiſcenti ad B. Virginem Angelorum, videlicet perfectum gaudium non conſiſtere in gratiis gratis datis, neque incognitione omnium ſcientiarum, neque in locutione Angelica, vel etiam in conuerſione totius Mundi; ſed in perfecta patientia in tribulationibus habenda, contemplando exemplum Chriſti, conſiderando etiam, quod tribulatio illa nobis detur propter peccata noſtra, nec non Deus ſit cauſa illius, aut permittendo, aut ordinando illam. Et hanc illius dabat rationem: quia omnes illæ gratiæ proueniunt à Deo, & ſunt aliquid Dei, vndè nec in illis gloriari poſſumus; aſt pati, ſufferre & tolerare patienter, eſt res noſtra (cum gratia Dei) ac propterea in hoc gaudere & gloriari poſſumus. Vndè dicebat Apoſtolus:

*2. Cor. 12. Gal. 6.* *Non gloriabor* in gratiis gratis datis, *ſed gloriabor in infirmitatibus meis* (in tribulationibus.) Et *Abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* In illis, aiebat S. Franciſcus (nempè in gratiis gratis datis) ſcribe, *Frater Leo, quia ibi non eſt perfecta lætitia.* Sed in iſtis (nimirùm, in tribulationibus cum patientia perpeſſis) *ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia.* Vbi aduertendum, Sanctum virum loqui de lætitia & gaudio intellectiuo, quod conſiſtit in patientia pacifica & cognita, dùm patimur, vti dictum eſt, & non in lætitia affectiua, quæ ad exercitium & virtutum ſubſtantiam minimè neceſſaria eſt.

# Cap. VIII.

## *De Præſentia Chriſti Crucifixi.*

COmmunis Sanctorum ſententia eſt, memoriam Paſſionis Chriſti, & Chriſti Crucifixi ſemper quantum fieri poteſt, continuandam eſſe in anima. *Sit tibi Ieſus ſemper in corde, & nunquàm imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & omne deſiderium tuũ.* Et talem memoriam vice gratitudinis exigit beneficii excellentia. Huiuſmodi recordationis præclarum dedit exemplum Chriſtus, qui ſemper viuam in corde ſuo conſeruabat meditationem & deſiderium Paſſionis ſuæ: quia, vt ait S. Bernardus, *Chariora illi fuêre brachia Crucis, quàm Patris.*

*S. Bernar. in Formula honeſtæ vitæ.*

Ad excitandam igitur & conſeruandam in nobis hanc memoriam adeò ſalutarem, multùm proderit, neque exiguum cõferet emolumentũ, ſi imaginatione noſtra præſentem Crucifixi D. N. nobis exprimamus, vt, dùm eũ habemus præſentem in imaginatione noſtra, eidẽ quoq; obiecto ſemper ſit intenta noſtra cogitatio. Conſidera igitur, & animo reuolue, te ſtare in ſacro Monte Caluariæ, Monte glorioſo, Monte dilecto, tantumq; à Redemptore, etiam ab æternitate, amato. In hoc monte *ſaluum fac*, mittendo nuncium cunctis aliis montibus humanæ felicitatis, pompæ & magnificentiæ, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt, & ſancta habitatio.

*Gen. 19.*

1. Attolle oculos in altum, & conſidera Sanctiſſimam Trinitatem totam operi Paſſionis Chriſti intentam, qua ratione omnes tres Perſonæ Diuinæ Redemptioni totius humani generis incumbant: Pater, dando Filium: Filius, dando ſeipſum: Spiritus Sanctus, talem Filio inſpirando voluntatem. Et hæc, iuxta mentem & cenſuram D. Auguſtini, principalis debet eſſe conſideratio in myſterio Paſſionis. *Nihil magis in Paſſione conſiderandum,* inquit ille, *quàm ardor Diuinæ Charitatis in ſanctiſſima Trinitate. Et miſericordia Trinitatis* (ſub-

*S. Aug.*

iungit

S. Leo. iungit S. Leo) *diuiſit ſibi opus noſtræ Redemptionis Pater, dando Filium: Filius, tradendo ſeipſum:* Spiritus ſanctus, *hæc operando.* Et ſanctiſſimæ Trinitati ob tantam Diuinæ Charitatis exceſſum gratias ages.

2. Conſidera Angelos cœleſtis Paradiſi, qui magno cum ſtupore de ſummo cœli faſtigio proſpiciunt Crucifixonem Filii Dei, nec non a Patre æterno licentiam poſtulant, vt de eadem ſumant vindictam. Et Pater æternus reſpondet: Non eſt tempus vindictæ; ſed miſe-
Iſa. 53. ricordiæ: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Quare tali edocti reſponſo in terram deſcendunt, vt compatiantur ſuo Deo, & cooperentur non morti noſtræ, ſed noſtræ ſaluti.

3. Conjice oculos in Verbum Diuinum propterea non incarnatum duntaxat & humanitatem; ſed clauis etiam cruci affixũ: & auſculta id, quod loquitur exponendo ti-
S. Bern. in Perſona Chriſti, bi ſuum dolorem & cauſam illius: *O homo, vide, quid pro te patior: Non eſt dolor, ſicut quo crucior. Ad te clamo, quod pro morior. Vide clauos, quibus confodior. Cum ſit tantus dolor exterior. Interior eſt planctus grauior. Cum te tàm ingratum experior.* Deinde contemplare ſigillatim omnia membra ſacratiſſimi Corporis Chriſti ſic vndique pertuſa, dilacerata, plagis & vulneribus vndi-
S. Aug. lib. de Virg. quaque ſauciata: & conſidera cum Auguſtino: *quomodo habet caput inclinatum ad te oſculandum, cor apertum ad te diligendum, brachia extenſa ad te amplexandum, totum corpus expoſitum ad te redimendum.* Huic intellectuali cõſiderationi coniunges tres actus voluntatis: 1. gratiarum actionem, Benefactori tuo pro tot tantisque beneficiis gratias agendo. 2. actum contritionis de turpibus peccatis, quæ crucifixerunt Chriſtum. 3. petitionem efficaciæ Paſſionis & Sanguinis ſui.

4. Contemplaberis etiam iuxta pedem Crucis doloroſum ſpectaculum ſanctiſſimæ Matris electæ in Cooperatricem Paſſionis Chriſti pro Redemptione noſtra.
S. Anſelm. *Vndè commiſſa eſt illa ſanguinis Chriſti diſpenſatio.* Diſtribuendo illum, cui & quomodo velit. Quapropter conſiderabis, quomodo tres Angeli, ſinguli proprium calicem tenentes Calicem colligant Sanguinem emanantem ex ſacris Chriſti vulneribus, & vnus pedum, alter manuum,

ter-

nios lateris aperti colligat Sanguinem fidelibus di-
ſtribuendum iuxta Matris Diuinæ ordinem & diſpoſi-
tionem.

Denique reflexionem ſupra teipſum faciens ani-
mo perpendes, quid tibi factu opus ſit, vt tanto corre-
ſpondeas amori. Vndè te ipſum veluti perpetuum Cru-
cifixi Jeſu & Mariæ mancipium Crucis pedi alligabis
aliqua catena, & poſtquam vna illius extremitate
alligaueris Cruci, alteram conſignabis manibus *B.*
Virginis, vt pro ſuo beneplacito diſponat de hoc ſuo
mancipio. Et fidelis inſtar mancipii, non timoris, ſed
amoris, id, quod menti ſuæ occurret, loqueris, operabe-
ris, ſemperque offeres ad maiorem gloriam Je-
ſu Crucifixi & Mariæ Cruci aſtantis. Inſuper, quia
mancipia, vltra catenam, ad modum torquis ſeu cate-
næ aureæ geſtant ferrum aliquod è collo propendens;
eodem ferro in ſignum ſeruitutis cinges collum tuum:
& quemadmodum ferro illi, quod geſtant mancipia, in-
ſcribi ſolet nomen Patroni & Domini; ad eundem mo-
dum indelebili charactere torqui tuo inſcribes hæc ſola
nomina, *Ieſus, Maria.* aut; *Ego ſum mancipium Ieſu &* *Vincent.*
*Mariæ.* vel etiam: *Seruus Ieſu, pro me venditi, & ligati,* *Belluacenſ.*
*& alapis, & flagellati & condemnati, & crucifixi, & mor-*
*tui; & Mariæ iuxta Crucem Ieſu*: quod eſt breue quod-
dam compendium Paſſionis Chriſti, ſecundùm Bellua- *Idem in*
cenſem. Denique precaberis ſanctiſſimam Virginem, *Spec. Mor.*
vt ſit memor ſui ſerui & mancipii, teque pretioſi ſangui- *S. Aug.*
nis ſui Filii reddat participem, *& faciat te ſentire, quàm*
*immenſo amore Dominus Ieſus te amauit*: ac tanquàm
Mater ſancti amoris, impetret tibi gratiam moriendi, ſi
non Martyris inſtar fidei, ſaltem inſtar Martyris amoris.
Verum, vt meliùs capiatur, quàm res ſit hæc præſentia
& memoria Crucifixi, aduertendum, hoc idem exerci-
tium fieri & peragi quoque in cœlis à Sanctis & Angelis
cœli incolis, veluti reuelatum fuit S. Ioanni, qui in thro-
no vidit: *Agnum ſtantem tanquàm occiſum*, vel, vt Græ- *Apoc. 5.*
ci legit: *iacentem tanquàm occiſum*: qui ſignificat Paſ-
ſionem & Crucifixionem Chriſti, & ſacratiſſima vulne-
ra, *quæ ad memoriam ſempiternam reſeruantur ſibi ad* *Rupert. in*
*gloriam, nobis ad gratiam, inimicis ad confuſionem.* *hunc locū.*

Sed

Ap.l.cit. Sed videamus, quo modo *quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, & multitudo Angelorum celebrabant* hanc memoriam. *Adorabant, & citharizabant, & ſpirabant odoramenta orationum, & cantabant canticum nouum, & ſinguli habebant citharas & phialas aureas; & hoc erat, & eſt magnum & ineffabile tripudium in cælo.*

Primò, adorabant, tribuendo gloriam Agno cum propria ſui confuſione & humiliatione: *Ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* Talis quoque fuit adoratio ſancti Latronis, quâ adorauit Christum Crucifixum, quando dixit: *Nos quidem iuſtè, nam digna factu recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* Dignissima ſanè adoratio firmiſſimè corde tuo inſculpenda, vt eandem exerceas omni tempore, & in omni occaſione.

Secundò, *citharizabant, & ſpirabant odoramenta:* & citharæ ac phialæ aureæ indigitant mortificationem paſſionum, & orationem.

Tertiò, *cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Hæc eſt memoria, quam de Paſſione Domini Sancti celebrant in cœlis, & tu eoſdem imitari ſatages in terris. Hæc ſufficiant pro exercitio frequentando in præſentia Saluatoris Crucifixi.

Praxi huius memoriæ, vt eò magis ſit ſtabilita & radicata in corde tuo, plurimùm inſeruiet exercitium illud quod Paſsionis ſingulis diebus & horis frequentandum, meditando quotidiè aliquem paſſum Paſſionis Christi, aut vnam ex ſeptem profuſionibus ſanguinis, de quibus ſupra dictum eſt: omnique hora excitando memoriam Paſsionis Domini diuiſæ in viginti quatuor myſteria iuxta viginti quatuor horis diei & noctis: & quæ myſteria reliquis horis ob ſomni impedimentum recolere nequis, ea anticipare poteris, vt ante ſomnum eorum recolatur memoria. Vtrumque exercitium pro maiori commoditate hic ſubiicietur, cum quadam formula offerendi ſe in mancipium Ieſu Crucifixi, & Mariæ iuxta crucem.

# Cap. IX.

## Exercitio pro memoria Paſſionis Chriſti per diem excitanda.

Totus Paſſionis Chriſti curſus diuidetur in viginti quatuor myſteria: vt ſingulis diei horis fiat memo-[...]cuius myſterii: & illæ horæ, quas ſomno impedi-[...]fore nouerimus, anticipari poterunt. Diſtributio [...]hoc modo: Tota Paſſio diuidetur in octo ſtationes: [...]a erit in cœnaculo: ſecunda in horto: tertia in do-[...] Annæ: quarta in domo Caiphæ; quinta in domo [...]lati: ſexta in domo Herodis: ſeptima denuò in domo [...]lati: octaua in monte Caluariæ.

In qualibet ſtatione conſiderabuntur tria myſteria, [...]quæ in vniuerſo erunt viginti quatuor, tot videlicet, [...]t ſunt horæ diei & noctis.

*Hora prima.*

## In Cœnaculo.

Chriſtus in cœnaculo docet humilitatem, Diſcipulo-[rum] lauando pedes, *Cœpit lauare pedes Diſcipulorum.* Et [...] exhibuit tanquam medium attingendi veram cel-[si]tudinem & magnificentiam, dicendo: *Qui maior eſt [int]er vos, fiat ſicut minor.* *Ioan.13.* *Luc.22.*

*Hora 2.*

Chriſtus cœnans cum Diſcipulis ſuis inſtituit ſanctiſ-[ſim]um Sacramentum, *Accipite, & comedite, Hoc eſt cor-[pus m]eum*, veluti *Sacramentum amoris*, & conſequenter [...]nis *& conuerſionis.* *Matth.26.*

*Hora 3.*

Chriſtus diſcedens è cœnaculo inſtituit ſermonem ad *Ioan. 14.*

Diſci-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Diſcipulos ſuos: *Non turbetur cor veſtrum. Creditis in*
*Deum, & in me credite.* Pro primo & principali docu-
mento commendat Diſcipulis exercitium Fidei, quia vt
S. Aug. ait Auguſtinus, *Si tecum eſt Fides, tecum erit etiam Deus.*

*Hora 4.*

## In Horto.

Matth. 26. Incipit timere. *Cœpit pauere, tædere, contriſtari &*
Marc. 14. *mæſtus eſſe*, timore ſuo merendo noſtram fortitudinem.

*Hora 5.*

Chriſtus deprecatur Patrem, ſudat ſanguinem & An-
Matth. 26. gelus ad confortandum ipſum comparet. *Procedens*
Mar. 14. *ſuper terram in faciem ſuam, orabat. Factus eſt ſudor*
Luc. 22. *eius, ſicut gutta ſanguinis. Apparuit autem illi Angelus*
*de cœlo confortans eum.*

*Hora 6.*

Chriſtus in horto captus eſt, & ligatus. *Tenuerunt*
Matth. 26. *& ligauerunt eum.* Vt nos ſolueret à vinculis pecca-
Marc. 14. rum noſtrorum.
Luc. 22.
Ioan. 18.

*Hora 7.*

## In domo Annæ.

Ioan. 18. Examinatus fuit circa doctrinam & Diſcipulos. *Pon-*
*tifex interrogauit Ieſum de Diſcipulis ſuis, & de doctrina.*

*Hora 8.*

Reſpondet Chriſtus, doctrinam ſuam notam eſſe o-
Ioan. 18. mnibus. *Ego palàm locutus ſum Mundo.*

### *Hora 9.*

Recepit alapam à miniſtro Pontificis. *Vnus aſſiſtens* *Ioan.18.*
*miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens. Sic reſpondes Pon-*
*tifici?*

### *Hora 10.*

## In Domo Caiphæ.

Examinatus fuit. *Adiuro te per* Deum *viuum, ut di-*
*cas nobis, ſi tu es* Chriſtus *Filius* Dei. *Matth.26.*

### *Hora 11.*

Reſpondet Chriſtus. *Tu dixiſti. Veruntamen dico* *Matth.26.*
*vobis: amodò videbitis* Filium *hominis ſedentem à dextris*
*virtutis & venientem in nubibus cœli.*

### *Hora 12.*

*Exſpuerunt in faciem eius, colaphis eum cæciderunt, &* *Matth.26.*
*palmas in faciem eius dederunt: Et velauerunt eum,* *Luc.21.*
*& percutiebant faciem eius: & interrogabant eum dicen-*
*tes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? Et alia multa*
*blaſphemantes dicebant in eum.*

### *Hora 13.*

## In domo Pilati.

Examinatus fuit. *Interrogauit eum Præſes, dicens:* *Matth. 27.*
*Tu es Rex Iudæorum?* Reſpondet, *Regnum meum non* *Luc.23.*
*eſt de hoc Mundo.* *Ioan.18.*

### *Hora 14.*

Subiunxit Pilatus. Ergò *Rex es tu?* Reſpondet Ie- *Matth.27.*
Pars Quarta;



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſus. *Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum & ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.*

*Hora 15.*

Non reſpondet accuſationibus. *Et cùm in multis accuſaretur, nihil reſpondit, ita vt miraretur Præſes vehementer.*

*Hora 16.*

## In domo Herodis.

Luc. 23. Lætatur, ſibique congratulatur Herodes de viſo Chriſto. *Herodes viſo Ieſu, gauiſus eſt valdè.*

*Hora 17.*

Luc. 23. Non reſpondet curioſitati Herodis. *Interrogabat eum multis ſermonibus, & ipſe nihil illi reſpondebat.*

*Hora 18.*

Luc. 23. Sprerus, veſteque albâ indutus fuit. *Spreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.*

*Hora 19.*

## In domo Pilati.

Ioan. 18. Matth. 27. Marc. 15. Poſtpoſitus fuit Barabbæ. *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Ieſum? Clamauerunt omnes, dicentes: non hunc, ſed Barabbam.*

*Hora 20.*

Ioan. 19. Fuit flagellatus. *Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.*

Hor

### *Hora 21.*

Coronatus fuit. *Plectentes coronam & ſpinis, impoſue-* *Matth. 27.*
*nt capiti eius.*

### *Hora 22.*

## In monte Caluariæ.

uit crucifixus. *Crucifixerunt eum, & latrones, vnum* *Matth. 27*
*extris & alterum à ſiniſtris,* *Marc. 15.*
*Luc. 23.*
*Ioan. 19.*

### *Hora 23.*

Dixit ſeptem verba. 1. *Pater dimitte illis, quia neſci*
*t quid faciunt.* 2. *Hodie mecùm eris in paradiſo.* 3. *Locis iam*
*it Matri ſuæ : Mulier, ecce Filius tuus. Deindè dixit* *cit.*
*iſcipulo: Ecce Mater tua.* 4. *Deus, Deus meus, vt quid*
*eliquiſti me?* 5. *Sitio.* 6. *Conſummatum eſt.* 7. *Pa-*
*in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Vel loco
um ſeptem verborum memoria recoles lanceam la-
Chriſti confodientem.

### *Hora 24.*

uit ſepultus. *Et poſuerunt corpus Ieſu in monumento,* *Luc. 23.*
*quo nondùm quiſquàm poſitus erat.*

Quantùm ad praxin exercitii huius; aduertenda ſunt
nulla puncta:

Primum eſt, hanc diſtributionem horarum ſolùm eſ-
factam ſecundùm conſiderationem, & ordinem men-
em: etenim Chriſti Paſſio non eo modo diuiditur;
quomodò legitur in Hiſtoria Euangelica.

Secundum punctum. Cum memoriâ myſteriorum
actus coniungendi ſunt, vt ſunt: gratiarum actio,
itio, petitio puri ſanctique amoris, prætereà actus
ei, ſpei, & Charitatis.

Tertium punctum. Perſeverantia in tàm ſancto exer-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

exercito à Deo magna cum inſtantia petenda eſt perme-
rita Chriſti. Et propter eundem finem in hoc exercitio
ſanctiſſimæ eius Matri, & ſancto Angelo cuſtodi tuo te
aſſociabis.

Quartum punctum. Plurimos ex hac deuotione
percipies fructus, & ſunt ſequentes. Primus eſt fructus
præſentiæ Chriſti & ſanctiſſimæ eius Matris. Secundus
erit applicatio meritorum eorundem cum augmento
cuiusuis gratiæ & virtutis. Quemadmodum aſpectu
*Num. c. 21.* ænei ſerpentis in deſerto recuperabatur ſalus & vita (*qui*
*percuſſus aſpexerit, viuet*) non quia hanc vim habebat il-
la viſio, ſed quia Deus per huiuſmodi viſionem ſanita-
tem conferebat inſpicientibus. Pari modo, quicunque
Paſſionis memoria inſpexerit Crucifixum, ab omni in-
firmitate liber & ſanus euadit, omnique ditatur gratia:
non quia hic ſolus mentalis aſpectus eiuſmodi habeat
virtutem & efficaciam; ſed quia Deus in præmium hu-
ius memoriæ ſua gratia influit ſanando & ſanctificando.
Tertius fructus eſt fortitudo & robur in ſufferenda
Cruce, dùm Chriſti exemplo animamur & confortamur.
mur. Quartus fructus eſt, quod, veluti in ciuitate re-
fugii conſtituti, eò ſecuriùs cuncta tentationum Dæmo-
nis retundamur iacula, tutiusque nos ab iis defenda-
*Orig 2.* mus: quia, vt benè ait Origenes, memoria Paſſionis
*Cor. 4.* Chriſti eſt victoria contra omnes Dæmones. *Certum*
*eſt, quia, vbi mors Chriſti animo circumfertur, non*
*poteſt regnare peccatum: eſt enim tanta vis Crucis, & Paſ-*
*ſionis Chriſti, vt ad eius memoriam nulla concupiſcentia*
*regnare poſſit; ſed continuò ad eius præſentiam totus pec-*
*cati & carnis fugatur exercitus.* Paſſio Chriſti & pec-
catum ſibi ſunt contraria, veluti lux & tenebræ. Ideò
quamprimùm Paſſionis excitatur memoria, extingui-
tur peccatū: & quò plùs hæc memoria viget in animo,
eò magis fomes peccati debilitatur. Quintus & vlti-
mus fructus erit, quod quis moriatur magna confiden-
cia propter ſpem in Sanguine Chriſti, & interceſſione
ſanctiſſimæ Matris illius.

Quintum punctum eſt, quod, qui non recordaretur
myſteriorum in particulari, eorundem recordari poſſet
in vniuerſali: agendo gratias Saluatori pro iis omnibus

qua

quæ fecit & paſſus fuit pro nobis : 1. in cœnaculo : 2. in horto: 3. in domo Annæ: & eum eodem ordine ad montem Caluariæ vſque. Et hæ octo ſtationes, vt ſuprà dictum eſt, diſtribui poſſunt in 24. myſteria correſpondentia 24. horis diei & noctis: vel pro maiori facilitate ...di poſſunt modo infra ſcripto : recogitando duas ...ne, duas per diem, duas veſperi, & duas nocte, vel ante ...mitionem, explicando myſteria in præſenti forma.

## *Memoria Paſſionis Chriſti.*

### Pro tempore matutino.

#### *In Cœnaculo.*

Ieſu, lauans pedes Diſcipulorum, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula. *Prima Statio.*
Ieſu, inſtituens Sanctiſſimum Sacramentum, miſerere nobis, laudabilis, & glorioſus in ſæcula. *Daniel. 3.*
Ieſu, inſtituens Diſcipulos in fide, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

#### *In Horto.*

Ieſu, in agoniâ poſite, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula. *Secunda Statio.*
Ieſu, in oratione proſtrate, miſerere nobis, laudabilis ... glorioſus in ſæcula.
Ieſu, à miniſtris ligate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

## *Memoria Paſſionis Chriſti.*

### Pro tempore diuturno

#### *In domo Annæ.*

Ieſu, examinate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula. *Tertia Statio.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jeſu, obiurgate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, colaphizate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

*In domo Caiphæ.*

*Quarta Statio:* JEſu, ſecundò examinate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, reus mortis iudicate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, blaſphemate, percuſſe, & illuſe, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

## *Memoria Paſſionis Chriſti.*

## Pro tempore veſpertino.

*In domo Pilati.*

*Quinta Statio.* Jeſu, tertiò examinate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, in multis accuſate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, in admirando ſilentio poſite, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

*In domo Herodis.*

*Sexta Statio.* Jeſu, in multis interrogate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, ſprete ab Herode & ab exercitu eius, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, indute veſte albâ, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

## *Memoria Paſſionis Chriſti.*

### Pro tempore nocturno, vel ante ſomnum.

*In domo Pilati.*

Jeſu, Barabbæ poſtpoſite, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula. *Septima Statio.*

Jeſu, flagellate, miſere nobis, laudabilis, & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, ſpinis coronate, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

*In Monte Caluariæ.*

Jeſu, Crucifixe, miſerere nobis, laudabilis, & glorioſus in ſæcula. *Octaua Statio.*

Jeſu, lanceâ militis vulnerate, miſerere nobis, laudabilis, & glorioſus in ſæcula.

Jeſu, in monumento nouo ſepulte, miſerere nobis, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Et in qualibet Statione eliciendi ſunt ſurprà dicti actus.

### *Formula offerendi ſe in mancipium & ſeruum Ieſu Crucifixi, & Mariæ Cruci aſtantis.*

Clementiſſime Rex, Chriſte Jeſu, verus Deus, & verus homo, Redemptor & Saluator animæ meæ, ego N. indigniſſimus peccator coram ſanctiſſima Cruce tua humillimè proſtratus, cum omni cordis affectu te adoro, & peto ſanguinis tui pretium, refugium tuarum plagarum, theſaurum meritorum tuorum: Sanguinem, in oblationem peccatorum meorum; Plagas, in continuam animæ meæ habitaculum;

nec non nuptialem veſtem meritorum, vt ad nuptias cœleſtis Paradiſi admitti, & ſubintrare valeam. Facito, mi dulciſſime Saluator, vt ſanguinis tui atramento & calamo clauorum tuorum indelebili charactere inſcribas cordi meo dolorem & amorem tuum: dolorem, vt propter te patienter feram omnem dolorem: & amorem, vt ſpernam propter te omnem alium amorem. Quod verò me concernit; cum gratia tua firmiter propono portare ſemper ſanctiſſimas plagas tuas & vulnera, & in corde ad excitandam memoriam, & in ore ad referendas gratias, & in manibus ad exercendam continuam operationem pro tua gloria. Inſuper, mi dulciſſime Redemptor, me & in tuum, & ſanctiſſimæ Matris tuæ juxta Crucem ſtantis offero mancipium perpetuum. Accepta oblationem, & da mihi vires perfectè eam obſeruandi: aliud enim non concupiſco, non curo, nec deſidero aliud, niſi vt ſim fidelis ſeruus & mancipium Regis & Reginæ cœlorum; vt fideliter tibi ſeruiens in vita, poſt mortem dignus efficiar libertate gloriæ, vbi cum omnibus iuſtis & ſanctis Angelis laudum tuarum decantem encomia, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

## CAP. X.

### *De beneficiis & fructibus Paſſionis Chriſti: & de modo, quo Chriſtus eoſdem operatus eſt.*

*S. Tho. 3. p. q. 48. & q. 49.*

IUxta doctrinam Doctoris Angelici quinque ſunt effectus & beneficia principaliora Paſſionis Chriſti. 1. Liberat hominem à peccato. 2. Liberat eum à pœna peccati. 3. Liberat eundem à poteſtate Dæmonis. 4. Hominem reconciliat Deo. 5. Aperit eidem portas cœli. Quinque etiam modi ſunt, quibus Paſſio Chriſti operatur hos effectus. 1. *Per modum meriti.* 2 *per modum ſatisfactionis.* 3. *per modum ſacrificii.* 4. *per modum redemptionis.* 5. *per modum efficientiæ.* De hiſce beneficiis breuiter dicemus in particulari, & de modo, quo Chriſtus D.N. eadem confert: vt illa conſeruantes in

noſtra

ſtrâ memoriâ viuâ, pro eiſdem gratos nos, vti ...ce, exhibere valeamus, veluti ſuo loco dicetur.

## *De primo beneficio Paſſionis Christi, quod eſt liberatio à peccato.*

Veritas certiſſima eſt, & de fide, Chriſtum D.N. per Paſſionem & Sanguinem ſuum lauare & mundare animam noſtram ab omni peccari macula. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo.* Quod non intelligitur *immediatè*, ſed *mediatè*: etenim Sanguis Chriſti eſt cauſa gratiæ, quâ mediante, tanquàm aquâ ſpirituali, mundatur & purificatur anima noſtra à cunctis peccatorum ſordibus. Hoc igitur eſt, quod dicere intendit, Chriſtum Paſſione ſuâ nos liberare à peccato: ...ium, quod Paſſione ſuâ nobis conferat gratiam remiſſiuam peccati. *Apoc. c.1.*

Verùm, vt meliùs percipiatur huius beneficii excellentia; dignum conſideratione eſt, quàm ingens malum ſit peccatum, à quo Paſſio Saluatoris nos liberat. Peccatum non eſt qualecunque malum, ſed ſummum & infinitum malum. Præterea eſt malum à tota Natura humana, & Angelica irremiſſibile & irreparabile: quia nulla infinitam præſtare poteſt ſatisfactionem conuenientem infinitæ malitiæ peccati. Denique eſt malum quoddam destructiuum habitus Gratiæ, & omnium effectuum ejus, cauſando effectus contrarios.

Plurimi ſunt effectus gratiæ. 1. Pulchram efficit animam per lumen ſapientiæ in intellectu, & per affectum Charitatis in voluntate: in quibus duabus perfectionibus propriè conſiſtit pulchritudo ſubſtantiæ ſpiritualibus. 2. Animam ditat virtutibus infuſis, & habitibus ſupernaturalibus, tanquam gemmis pretioſis & inæſtimabilis valoris. 3. Participem eam reddit vitæ ſupernaturalis & Diuinæ. 4. Eandem facit Amicam, filiam adoptiuam Dei conſtituit. 6. Particulari etiam aſſiſtentia & protectione Dei dignam efficit. 7. Ius confert ad gloriam. 8. Vnit animam ſponſalitio Chriſti per lumen & viſionem beatam. 9. Adorent

corpus proportionata gloria, vti continget in Reſurrectione. Omnes præfatos effectus deſtruxit peccatum. Priuat animam propria pulchritudine, exuit eandem virtutum opibus, remanentibus ſolùm in ea, ex pura Dei benignitate, Fide & Spe, tanquàm *ſemine conuerſionis*: ſurripit ei vitam Diuinam gratiæ: tollit amicitiam, filiationem, protectionem Dei, & ius hæreditatis ad gloriam, tam eſſentialem competentem animæ, quam accidentalem corpori propriam. Neque hic eſt finis ruinæ & deſtructionis, quam cauſat peccatum mortale in anima: ſiquidem progenerat etiam effectus gratiæ planè contrarios. 1. Turpem ac deformem, ſicuti Dæmonem, efficit animam per ignorantiam rerum Diuinarum in intellectu, & per concupiſcentiam terrenarum rerum in voluntate. 2 Loco virtutum replet animam inordinatis paſſionibus & habitibus vitioſis. 3. Facit, vt vitam agat diabolicam, cùm eodem, quo Dæmon, viuat ſpiritu, qui eſt peccatum. 4 Dæmonis conſtituit Amicam, cùm in iiſdem malis communicet cum Dæmone. 5. Eiuſdem quoque Dæmonis efficit Filiam: *Manifeſti ſunt Filii Dei, & Filii Diaboli.* Nam quemadmodum iuſtus dicitur Filius Dei, quia ſpiritu *Dei agitur*, & per gratiam ſe vnit Spiritui ſancto *per modum mouentis & mobilis*; ita peccator dicitur filius Diaboli, quia *agitur ſpiritu Diaboli*, & per peccatum ſeſe vnit cum eodem *per modum mouentis & mobilis*, cùm ſemper ab ipſo moueatur & concitetur ad malum. 6. Proiectio, quæ tali Filio debetur, eſt poſſeſſio quædam & dominium, quod habet Diabolus ſupra animam, amouendo & retrahendo eam, quantum poteſt, ab omni occaſione benè faciendi. 7. Peccatum affert reatum & obligationem ad pœnam æternam Gehennam damni & ſenſus in morte. 9 Pœnam accidentalem corporis in vltima reſurrectione.

Ioan. ep. 1. c. 3.

Rom. c. 8.

Ex hiſce effectibus colligitur, quàm magnum malum & monſtrum ſit peccatum mortale. Quod ſi igitur tam excellens bonum ſit Gratia, veluti dictum eſt, & tam ingens malum ſit peccatum, maximum etiam & inæſtimabile erit beneficium nobis per Paſſionem Christo præſtitum, conferendo nobis gratiam, & liberando nos à peccato.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## *De ſecundo beneficio Paſſionis Chriſti, quod eſt liberatio à pœna peccati tam æterna, quàm corporali.*

In eadem peccati malitia variæ poſſunt conſiderari actiones, tanquàm peccati effectus. Et ſunt: *macula, offenſa, iniuria, reatus, pœna.*

Prima eſt macula quædam, turpem, ſordidam ac deformem reddens animam, eò quod inordinatam illam facit, & quaſi incuruatam à Deo ad creaturas: etenim per peccatum anima recedit à Deo tanquam ab vltimo fine, & ad creaturam accedit; vndè quemadmodum corpus humanum cenſeretur turpe ac deforme, ſi primò erectum habens ad ſidera vultum, declinaret deindè ab ſuo naturali ſitu, & totum incuruatum procederet: pari ratione turpis & deformis dicetur illa anima, quæ deſinens directè contemplari Deum, tanquam vltimum finem, ſe incuruat & inclinat, totum ſuum affectum ponendo in creaturis.

Secunda conditio peccati eſt offenſa Dei, & oritur ex prima: quia ex macula animæ, quæ eſt quædam priuatio gratiæ & Chritatis Dei, ſequitur diſplicentia Dei, quæ eſt offenſa Dei. Summè namque Deus offenditur, multumque ei diſplicet, quod poſitus in æquilibrio & comparatione cum creatura minùs æſtimetur ab anima, quàm ipſa creatura, quodq; anima potiùs eligat deſerere Deum, quàm creaturam, auertendo à Deo affectum ſuum & conuertendo illum ad creaturam. De hoc ſui vilipendio lamentabatur Deus illis Prophetæ verbis: *Duo mala fecit populus meus: dereliquerunt me, fontem aquæ viuæ* (vel, vt alii legunt, *aquam viuam*) *& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, ſed lacoſque nonniſi lutum continent. *Ierem. 2.*

Tertia conditio & proprietas peccati eſt iniuria Dei. Quia facit contra ius proprium Dei, quod habet, vt vnitum, ſummum bonum & ultimus finis, ac proindè, vt ametur ſuper omnia. Et non tantùm peccator agit contra ius Dei, in quantum eſt vltimus finis; ſed etiam in quantum eſt primum principium per creationem, quia abutitur ipſo eſſe, ſubſtantia & potentiis animæ à Deo receptis; & in quantum

tum

tum eſt Legiſlator, nàm peccando ſpernit & parui pendit leges Diuinas: ac denique in quantum eſt Remunerator vniuerſalis, quia nihili æſtimat promiſſa præmia, nec minimùm timet pœnas à Deo comminatas.

Quarta proprietas, quæ veluti paſſio peccati et malitia eiusdem tanquàm ex eſſentia dimanat, eſt reatus pœnæ, qui eſt quoddam debitum, vel, vt melius dicamus, obligatio moralis ad ſuſtinendam pœnam & æternam, & temporalem.

*p.2.q.89. art.4.* Vltima proprietas peccati eſt pœna actualis, æterna, & temporalis. Etenim, cùm malitia peccati perfectè infinita, in quantum eſt offenſa Dei, boni infiniti, meretur ex ſe pœnam aliquam infinitam *ſecundùm durationem*, quæ eſt pœna æterna, quæ remittitur, cum remittitur pececcum mortale, & ſuccedit ſolum pœna temporalis.

Hæ ſunt proprietates peccati, à quibus omnibus nos liberat Chriſtus Saluator noſter per acerbiſſimam ſuam paſſionem & per pretioſiſſimum ſuum ſanguinem. Neque nobis remittit duntaxat maculam peccati, offenſam, iniuriam Deo illatam; verùm etiam debitum & obligationem pœnæ, & pœnam æternam: cùm enim liberat nos à peccato, modo ſupra dicto, ſimul nos liberat à pœna æterna illi annexa. Conſidera excellentiam huius beneficii: ſiquidem æternitas hanc ſortitur conditionem, vt, vbicunque reperiatur ſiue in bono, ſiue in malo, infinitum efficiat. Si ſe coniungit Bono præmii, infinitum reddit præmium: ſi verò Malo pœnæ aſſociat, infinitam pariter efficit pœnam: Ergò Chriſtus D. N. Sanguine ſuo liberat nos ab infinita pœna quæ

*Eccl.40.* eſt epilogus *& cataclyſmus malorum*, *id eſt*, *vniuerſale diluuium omnium pœnarum*. Quapropter pro tanto beneficio Chriſto debemus infinitam obligationem, infinitam gratitudinem.

## *De tertio beneficio Paſſionis Chriſti; quod, videlicet, nos liberet à poteſtate Dæmonis.*

Tres Angelicus aſſignat cauſas poteſtatis, quam in *l. ſup. cit.*
mnes Dæmon ſibi acquiſierat. 1. Peccatum, quia,
*facit peccatum, ſeruus eſt peccati,* & ſimul Dæmonis
queſeruus eſt, à quo deuictus fuit, cùm eum induxit
peccatum. 2. Offenſam Dei, ob quam iuſtè Deus
nem tradidit poteſtati Dęmonis tanquàm miniſtri
iuſtitiæ. 3. Iniquitatem Dæmonis, qui Chriſto,
morti nec peccato ſubiecto, mortem inferre tenta-
. A prima cauſa poteſtatis liberat nos Paſſio Chriſti,
*quantum eſt remiſſiua peccati.* A ſecunda, *in quan-* Caiet.
*eſt reconciliatiua Dei.* A tertia *in quantum eſt præ-*
*poſterè illata à Diabolo: iuſtum eſt* enim, ſecundùm
guſtinum, *vt debitores, quos tenebat, liberi dimittan-* *S. Aug. de*
*in eum credentes, quem ſine ullo debito occidit.* *Trinit. c.*
effectum Paſſionis ſuæ nobis Chriſtus intimauit, 14. *tom. 2.*
do paulò antè Paſſionem ſuam dixit: *Nunc Prin-*
*ceps Mundi eiicietur forâs.*

Verùm, vt clariùs intelligatur, qualis ſit hæc Dæmo- poteſtas, aduertendum eſt, Dæmonem nunquam ab- , ſed ſemper dependenter à permiſſione Dei hac ſum fuiſſe poteſtate, quæ ante Paſſionem Chriſti valdè ampla; at poſt Paſſionem per eius virtutem ita fuit. Ante Paſſionem Chriſti & fidem illius miſſum erat Dæmoni tentare, vincere & aſportare omnes peccatores ad infernum, inſuper & ei poteſſum erat iuſtos detinere limbo incluſos; aſt mo- rtune Sanguinis Chriſti ſublata eſt ei hæc poteſtas: , eſto etiam nos tentat, non tamen ita fortiter, vti faciebat, & ſemper ſubſidio Diuinæ gratiæ à Chri- nobis ſubminiſtratæ de eo victoriam reportare poſ- . Præterea ad infernum ſolùm defert illos, qui ſe ponte trahunt, nec valorem Sanguinis Chriſti ſibi care volunt: at iuſti ab omni culpa & pæna liberi migrant ad cœlum, neç in alio loco extra paradi-

ſum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſum cœleſtem diutiùs demorantur. Igitur infinitas de-bemùs gratias infinitæ miſericordiæ Paſſionis Chriſti, quod in virtute Sanguinis ſui nos liberauerit non à pec-cato duntaxat & pœnis illius; verùm etiam à crudeliſſi-ma tyrannide & ſeruitute Sathanæ.

## *De quarto beneficio Paſſionis Chriſti, quod nos Deo reconciliauit.*

Quemadmodum ſummum malum eſt eſſe in ſtatu inimicitiæ cum Deo; ita & qui Deo ſe reconciliat, in e-iusque redit amicitiam, vt ſummum bonum æſtiman-dum eſt: & conſequenter vt ſummum etiam benefici-um cenſeri debet, quod Chriſtus per Paſſionem ſuam nobis exhibuit, reſtituendo nos Diuinæ gratiæ, tollen-do ſanguine ſuo cauſam odii & inimicitiæ, videlicet,
2. Cor. c.5. peccatum. Ita ait Sanct. Apoſtolus Paulus: *Deus erat in Chriſto, Mundum reconcilians ſibi.* Et rationem adducit: Non reputans illis delicta ipſorum: non imputando nobis: ſed remittendo nobis peccata per merita Chriſt, quæ peccata cauſa erant inimi-citiæ inter nos & Deum. Quapropter, *qui non noue-rat peccatum, pro nobis fecit peccatum*, qui nunquam peccatum commiſit, nimirùm, Chriſtus, ſe fecit pro no-bis peccatum, hoſtiam videlicet, & ſacrificium, vt nobis remitterentur peccata noſtra.

## *De quinto beneficio Paſſionis Chriſti, quod nobis aperuerit cœli por-tam.*

Obſtaculum, quo obſeruatur & occluditur porta cœli (& eſt locutio metaphorica, qua ſignificatur viſio-nem beatificam eſſe amiſſam aut impeditam, velut ex-
3.p.q.49. ponit Caietanus) non eſt aliud quàm peccatum: quia
ar.5. *via illa Sancta vocabitur, & non tranſibit per eam pollu-*
Iſai. 35. *tus*. Duplex eſt hoc peccatum: perſonale vnum, proprium ſingulis: originale alterum ab Adamo deſcendens

dicitur *peccatum totius naturæ*, ſeu inficiens totam naturam. Chriſtus per Paſſionem ſuam ſatisfecit vtroque peccato,& pro omni pœna,& reatu pœnæ: proptereà dicitur Chriſtus Paſſione ſuâ nobis aperuiſſe & reſeraſſe portas cœli: Ex quo etiam intelligitur, quod ante Paſſionem Chriſti nullus etiam ſanctus, & à peccato exiſtens, cœlum ingredi poterat: quia ſecundum ordinem Diuinæ iuſtitiæ Chriſtus ſatisfacere debebat pro peccato naturæ, nempè, pro peccato originali Adami, in quantum totam inficiebat naturam humanam, quemadmodum fecit in Paſſione ſua. Sed dicet quiſpiam, ante Paſſionem Chriſti remittebatur peccatum per Circumciſionem in fide futuræ Paſſionis Chriſti, vti modò per baptiſmum in fide Paſſionis Chriſti præteritæ, ergò etiam ante Paſſionem cœli ianua debebat eſſe aperta. Reſpondetur cum Caietano: quod per Circumciſionem remittebatur peccatum originale vt contractum à filiis Adami in particulari; ſed non ab iiſdem, tanquàm à deſcendentibus ab Adamo, & prout peccatum illud inficiebat totam naturam humanam, & in hoc ſecundo modo ſolus Chriſtus ſatisfecit Paſſione ſuâ: ac proptereà nonniſi per illam ianua cœli aperta eſt.

Et hæc, quæ de quinque beneficiis per Paſſionem Chriſti nobis præſtitis, vt quod nos liberârit à peccato, à pœna, à poteſtate Diaboli, Deo nos reconciliarit,& ianuas cœli nobis aperuerit, breuiter perſtrinximus, ſufficiant. Supereſt,vt de modo, quo Chriſtus hos effectus operatus fuerit, dicamus.

## De Primo modo, quo Paſſio Chriſti noſtram operata fuerit ſalutem.

### *Per modum meriti.*

Paſſio Chriſti, in quantum voluntariè acceptata & oblata pro nobis, non meritoria duntaxat; verùm etiam meriti extitit infiniti, propter infinitam Perſonæ dignitatem, & Naturam Diuinam, vt iam ſtatim dicemus: ergò merebatur infinitum præmium, ergò mereri pote-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poterat pro ſe, & pro aliis, ſimulque operari noſtram
ſalutem *per modum meriti*, promerendo nobis gratiam,
& cætera omnia auxilia ſupernaturalia ad ſaluté neceſ-
§ *T.q.* 69. ſaria. Prætereà id probat S. Thom. quia Chriſtus propter
*art.* 1. hanc infinitam dignitatem meriti eſt Caput noſtrum,
non naturale, ſed morale & metaphoricum: veluti Prin-
ceps dicitur Caput Reipublicæ: & per conſequens gra-
tia Chriſti, in quantum vnita gratiæ vnionis, *eſt gratia*
*Capitis*, & nos omnes Chriſti, tanquàm Capitis, membra
ſumus. Sicque ex Chriſto & Eccleſia integrum quod-
dam formatur corpus myſticum, in quo Chriſtus eſt Ca-
put, Eccleſia corpus, & Chriſtiani ſunt membra. Ita
*Epheſ.* 1. ait S. Apoſtolus Paulus: *omnia ſubiecit ſub pedibus eius,*
*& ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam* (militan-
tem ſimulac triumphantem) *quæ eſt ipſius corpus.* Igi-
tur, ſi Chriſtus eſt Caput, nos membra; ſicut Caput na-
turale influit ſenſum & motum in membra; ita Chri-
ſtus in nos, & animam noſtram influit ſenſum & motum
ſpiritualem per influxum gratiæ. Deindè Caput na-
turale tres ſortitur conditiones reſpectu ſuorum mem-
brorum: *ordinem, perfectionem, & virtutem*; quia eſt pri-
ma pars corporis inter omnia membra, in ſe continet
omnium ſenſuum tàm internorum, quàm externorum
perfectionem (ubi reliqua membra ſolo gaudent ſenſu
tactus) & influit in membra *influxum internum* mouendo
ſpiritibus vitalibus, & *directionem externam*, mouendo
& regendo corpus in operationibus externis perficien-
Eaſdem conditiones habet Chriſtus reſpectu noſtrum,
dè iure merito dici poteſt Caput noſtrum; ſiquidem
primum obtinet locum præ reliquis creaturis, cùm ſit
*primogenitus in multis fratribus*: cunctarum gratiarum
*Ioan.* 1. gaudet plenitudine: *Vidimus eum plenum gratia & veri-*
*tatis*: influit in nos, *quia de plenitudine eius omnes accepi-*
*unt*: & influit *immediatè* per influxum interiorem gra-
tiæ, & *mediatè*, mediante ſuo in terris Vicario per dire-
ctionem exteriorem.

Oſtendimus hactenus, quomodo Chriſtus, ex eo
Caput noſtrum myſticum, meruerit nobis ſalutem
concurrendo per modum meriti: reſtat, vt magis ſpecia-
tim examinemus modum, quo meruit Chriſtus D.

Ta-

Tanquam Filio Dei naturali competebat ei in inſtanti conceptionis ſuæ ( *ex debito connaturali*) omnis perfectio gratiæ & gloriæ. Undè ex hac parte, & quod propriam concernebat perfectionem, non indigebat merito: ſed noſtri commodi & vtilitatis ergò elegit operari ex merito. Quem in finem duo in ſeipſo patrauit miracula: primum, quod permiſerit animam ſuam eſſe paſſibilem & ſubiectam triſtitiæ, timori, & aliis ſimilibus, tametſi ex alia parte illa fuerit beata beatificâ Dei viſione: aliud miraculum fuit, quod impediuerit, ne gloria reſultaret & redundaret in corpus: ſed reliquerit illud eſſe paſſibile & mortale: vt per vtramque viam ſimul eſſet in ſtatu Comprehenſoris & Viatoris, ac proindè capax meriti. Igitur à primo inſtanti conceptionis ſuæ per primum illum actum amoris & obedientiæ erga Patrem æternum elicitum meruit nobis: & offerendo meritum illud pro noſtra ſalute, quia infiniti erat valoris, meruit, quantùm eſt ex parte Chriſti, gratiam & gloriam pro toto Mundo. Meritum, conformiter docent Theologi conſiſtit in actu elicito voluntatis intrinſecè, veluti in eodem reſidet intrinſecè libertas: & in actu imperato ſolùm extrinſecè, & (vt aiunt) per denominationem extrinſecam voluntatis imperantis. Iſto ergò actu elicito voluntatis Chriſti, quo acceptauit præceptum & obedientiam Patris circa noſtram redemptionem, meruit Chriſtus adæquatè, exceſſiuè & cum omni rigore iuſtitiæ ſalutem noſtram: quamuis, vt mox dicetur, in hunc finem non ordinauerit hunc ſolùm actum; ſed omnes omninò actus & merita ſimul vnita totius vitæ & Paſſionis ſuæ. Et hoc ſatis ſit pro intelligentia, quomodo Chriſtus noſtram ſalutem operatus fuerit *per modum meriti*. De eo, quod valorem, effectus, & meritorum horum concernit applicationem, dicetur infra.

# De ſecundo modo;

## *Per modum ſatiſfactionis.*

PAſſio Chriſti non ſolùm fuit cauſa meritoria, ſed etiam ſatisfactoria pro noſtra ſalute: etenim non tantùm nobis meruit gratiam; ſed etiam mediante gratiâ nos liberauit à peccatis, quo Diuinæ ſatisfecit iuſtitiæ. Satisfactio namque nil aliud eſt, quàm ſolu*tio debiti*: & hoc debitum, quod nos debemus Deo, ſoluitur per id, quod tollatur peccatum mediante gratia. Vndè ſequitur, Paſſionem Chriſti reſpectu ... Chriſti, vti & reſpectu Angelorum fuiſſe meritoriam & non ſatisfactoriam; at reſpectu hominis eſſe meritoriam, ſimul & ſatisfactoriam: quia per effectum meri... rùm, per gratiam ſatisfecit Deo, tollendo debitum peccati. Et hæc ſatisfactio Paſſionis Chriſti perfecta ... quia nõ tantùm ſufficiẽs fuit & æqualis, *ſecundum æqua litatem rei ad rem, ſcilicet, pretii ad debitum*; ... iam excedens & ſuperabundans: nam pretium ſangu... nis id, quod Deo debebatur ratione debiti offenſæ ... ceſſit & ſuperauit: & plùs placuit Patri æterno, ... remq; ei tribuit gloriam Paſſio Chriſti, quàm eidem ... ſplicuit, contuliq; vilipendium & deſpectum ipſum pe... catum & offenſa Adami: inſuper fuit *ex iuſtitia, & ... ni rigore iuſtitiæ*, eo modo, quo probatur à Theolog... Neq; ſolùm perfectiſſima fuit ſatisfactio Chriſti ... modum ſatisfaciendi, ſed etiam quo ad perſonam, ... ſatisfecit. Quia, ſicut peccato omnes tres Diuinæ Perſo... næ offendebantur, ita eiſdem conueniens compen... & debebatur ſatisfactio: & quemadmodum Deus pri... cipaliter fuit offenſus, ſecundariò Perſonæ Diuinæ, ... quantum ſunt vnus Deus, vnus Legiſlator, vnus ... finis; eodem modo ſatisfactio primariò ſatisfecit Deo, ... ſecundariò Perſonis Diuinis. Sed modum exploremus, quo Chriſtus ſatisfecit; ſuſcipiendo in ſe omnia pec... noſtra. *Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium ...* & cum peccatis punitionem & pœnam peccatorũ. *Pro... pter ſcelus populi mei percuſſi eũ, & diſciplina pacis ...*

*Suarez. diſp 4. ſect. 5 in 3 p.*
*Iſa 53.*
*Ibid*

*...ur eum* Tria dicit peccatum, vt notat S. Auguſtinus, *...lpam, opinionem, & pœnã*: Chriſtus volens ſatisfacere ...o noſtris peccatis, in ſe minimè ſuſcepit culpam (erat ...im impeccabilis) benè quidèm opinionem peccato...,& pœnam; contentus namq; erat, vt tanquam pecca...r exiſtimaretur, ſubmittebat ſe pœnæ peccati, ac noſtra ...ſe ſuſcepit peccata cum pœna, vt nobis vicisſim ſuas ...giretur virtutes cum gloria. *O mirabile commercium* (...clamat S. Leo Papa) *noſtra accipiens, & ſua tribuens.* ...ſicua ſanè & vtilisſimma commutatio ex parte ho...minis! Chriſtus commutat ſuam fœlicitatem cum mi...ſeria noſtra. *Serm. 2. de de Paſſ.*

## De tertio modo,

### *Per modum Sacrificii.*

CHriſtus in Altari Crucis verus & proprius fuit Sacerdos, iuxta illud Apoſtoli: *Tu es Sacerdos in æ...ternum.* Ratio eſt, quia ſeipſum in verùm obtulit ſacri...ficium pro peccatis noſtris. *Tradidit ſemetipſum ...pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ...ſuauitatis.* Igitur Chriſtus operatus fuit ſalutem ...noſtram, non *per modum meriti & ſatisfactionis* dun...taxat, veluti ſupià diximus; *ſed etiam per modum ...ſacrificii.* Imò duo illi priores modi huic inclu...duntur, quia ſacrificium cruentum Crucis Chriſti ...non aliter in nobis cauſauit ſalutem, quàm me...rendo nobis omnia dona gratiæ & gloriæ, & ſatisfa...ciendo pro peccatis noſtris & quò ad culpam, & quò ...ad pœnam. *Heb. 5.* *Epheſ. 5.*

Ulterius, quinque requiruntur & concurrunt ad ve...rum ſacrificium; omnia illa fuerunt in cruento Crucis ...ſacrificio. Requiritur Sacerdos, victima, victimæ dò...ſtructio, Altare, & finis gloriæ & cultus Dei: Chriſtus ...fuit Sacerdos, victima, morte deſtructa: Altare fuit ...Crux: finis fuit ſalus noſtra & gloria Dei.

Sed pro clariori veritatis huius notitiâ dubitari pot...eſt: primò, Reſpectu cuius naturæ Chriſtus fuit Sa...cerdos, an ſecundùm naturam humanam vel Diui-

nam? Reſpondeo, ſecundùm naturam humanam: ratio eſt, quia ſi conſideremus Diuinitatem, non habet ſe ſuperiorem, cui poſſit offerri ſacrificium, quamuis humanitas efficaciam & valorem ſacrificii recipiat à Diuinitate, à qua, tanquàm ab vnguento ſacerdotali, vt notat Vaſquez, *humanitas vngitur, ſanctificatur & digna redditur tanto munere.* Ad eundem modum proprium eſt Christi, eſſe Mediatorem in quantùm eſt homo, qui tamen ſimul Deus erat: quia, vt homo, ſatisfaciebat, &, vt Deus, ſatisfactioni dabat valorem & dignitatem infinitam.

*Vaſq diſp. 83. c. 2. in 3. p.*

Secundum dubium. Chriſtus non occidit ſeipſum, ergò non fuit Sacerdos. Reſpondetur, quod, etſi ſeipſum non occiderit, attamen mortem ſuam acceptauit, eamque voluntariè obtulit Patri in ſacrificium pro nobis. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Nec propterea Martyres etiam Sacerdotes dicendi ſunt: primò, quia non fuerunt voluntarii in moriendo, quemadmodùm Chriſtus, qui etiam exiſtens in Cruce poterat non mori, ſi noluiſſet: ſecundò, Sancti Martyres moriebantur propter fidem Chriſti, & propter propria peccata: Chriſtus propter peccata aliorum & totius Mundi: tertiò, Chriſtus fuit conſecratus, conſtitutus & vnctus Sacerdos à Patre æterno per Diuinitatem, vt fungeretur hoc officio pro Mundi redemptione (quod non competit Martyribus) ergò eſſe ſacerdotem per propriam mortem causare noſtram ſalutem *per modum Sacrificii,* eſt proprium ſolius Chriſti. Et hæc de tertio modo operandi *per modum ſacrificii.*

*Iſa. 53.*

## *De quarto modo,*

### *Per modum Redemptionis.*

REdimere propriè ſignificat liberare ſeruum à poteſtate alterius, aut priſtinæ libertati reſtituere aliquod mancipium: quod excellentiſſimè præſtitit Chriſtus Dominus noſter. Quia per ſanguinem ſuum plenariè ſatisfecit Diuinæ iuſtitiæ, nos omnes, tanquam ſeruos & mancipia è Dæmonis eripuit poteſtate:

quod Dæmon haberet ſupra nos proprium dominium; ſed quia à Deo obtinuerat poteſtatem puniendi hominem, eumque deducendi ad infernum.

Hæc Redemptio tàm liberalis ex parte Chriſti, tamq; onoraris ex parte noſtra, commendatur admodum & celebratur à ſacra Scriptura. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis: ſed pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* 1. Petr. 1. 1. Cor 6. *Empti enim eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Verùm, ſi volumus inſiſtere vi & proprietati verborum, aliud eſt emere, aliud *redimere. Emere* eſt comparare dominium rei alicuius mediante aliquo pretio: *redimere* eſt de nouo comparare dominium rei primò poſſeſſæ, ſed per aliquam occaſionem amiſſæ & deperditæ. Iam, poſita hac explicatione, *Chriſtus redemit, & emit: redemit, vt Deus: emit, vt homo.* S. Hier ad Sal. cap 3. Suarez diſp. 4. ſect. 3. Quia in quantum Deus de nouo cōparauit, & rurſum acquiſiuit ſibi ius antiquum amicitiæ, quod in nos habebat: aſt in quantum homo nouum ius & dominium ſupra nos acquiſiuit. Quapropter dicitur in Pſalmo: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Pſal 2.

Sed, quomodo & quando Chriſtus Dominus noſter hoc Redemptoris officium exercuerit, videamus. Chriſtus nō duntaxat Redemptor fuit patiendo & moriendo pro nobis in Cruce, ſed à principio quoque conceptionis ſuæ, & in omnibus operationibus vitæ ſuæ vſque ad mortem. Etenim omnes & ſingulæ Chriſti operationes gratiſſimæ erant Patri æterno, & quælibet ſufficientiſſima pro noſtra redemptione: eſto pretium totale & completum nonniſi in Cruce ſolutum fuerit, iuxta Diuinum oraculum: *Nonnè oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24.

## De quinto & vltimo modo,

### *Per modum efficientiæ.*

PAſſio Chriſti non ſolùm ſalutis noſtræ extitit cauſa *moraliter & meritoriè*, in quantum ſuo merito mouebat voluntatem Dei ad dandam nobis *effectiuè* grati- Suarez diſp 31. ſect. 9.

am, ſed etiam *phyſicè & efficienter:* quod intelligi de
Paſſione *ſubiectiuè*, videlicet, de Humanitate Christi in
quantum Paſſioni & morti ſubiecta fuit. Adeoque
nunc Humanitas Chriſti, in quantum eſt inſtrumentum
cōiunctum Diuinitatis, concurrentis vt cauſa principa-
lis, eſt cauſa phyſica inſtrumentalis omnium ſupernatu-
ralium effectuum gratiæ. Quod idem dicendum eſt
de ſacratiſſimis plagis Chriſti, & de precioſiſſimo ſangui-
ne, *phyſicè inſtrumentaliter* concurrentibus ad noſtram
ſalutem. Neque hæc doctrina contrariatur S. Tho-
mæ docenti, nullam creaturam poſſe eſſe cauſam inſtru-
mentalem creationis: quia, vt benè exponit Caietanus,
gratiam cauſata ab Humanitate Chriſti in anima noſtra
non creatur, cum ad eam concurrat anima tanquam
ſubiectum ſecundùm ſuam potentiam obedientialem,
vti latiùs probatur in Theologia. Et hæc de modo, quo
Chriſtus per ſuam Paſſionem operatus fuit ſalutem no-
ſtram, nimirùm, tanquàm cauſa meritoria & ſatisfacto-
ria, tanquam Sacerdos & Redemptor, & denique tan-
quam cauſa phyſica inſtrumentalis.

## Cap. XI.

### *De ineſtimabili theſauro meritorum Paſſionis Chriſti.*

INter principalia ſanctæ noſtræ fidei myſteria, magisq;
ſaluti noſtræ neceſſaria collocandus quoq; venit the-
ſaurus meritorum Chriſti nobis quaſi in hæreditatem ab
eodē Chriſto conſignatus. Siquidem tota cauſa noſtræ
ſpei, fundamentū ſalutis noſtræ, totū etiā illud ius, quod
habemus ad vltimū æternæ beatitudinis finē, oritur &
ducit à meritis & per merita Paſſionis Chriſti. Non enim
Act. 4. aliud nomē eſt, *in quo oporteat nos ſaluos fieri*, niſi in Chri-
ſto, qui, tanquam caput membris ſuis, velut vitis palmi-
bus, cōmunicat nobis, & in nos influit ſpiritum & omni-
gratiæ, gloriæ, totiusq; cœleſtis benedictionis. Verum,
Rom. 6. *quod Chriſtus ſemel mortuus eſt, & iam non moritur*, vt
præterijt mors, præterijt paſſio, prætериe & actiones e-
ius meritoriæ: at dignitas & valor horū meritorū rema-
net, & remanebit in æternū in ſcientia & præſentia Patris
æterni, totiusq; ſanctiſſ. Trinit. (quemadmodum tran-
acto peccato remanet reatus cū dignitate & meritopœ-
næ) & intuitu horū meritorū Chriſti placatur Deus,
cōciliatur mundo, cunctisq; concedit media ad ſalutem
neceſ-

neceſſaria. De hac igitur meteria tanti momenti vtilitateq; aſpirante Spiritus S. gratiâ tractabimus in præſenti capite, tria breuiter declarantes puncta; primũ de conditionibus theſauri meritorum Chriſti: ſecundum de effectibus; tertium de applicatione.

*De Conditionibus theſauri meritorum & ſatisfactionis Paßionis & Sanguinis Chriſti.*

PRo meliori intelligentia dicendorũ de proprietatibus meritorũ Chriſti, ſupponendũ eſt, meritũ nil aliud eſſe, quàm *opus voluntariũ, cui debetur ex iuſtitia merces vel præmiũ.* Vt v. opus aliquod mereatur præmium *ex debito iuſtitiæ*, nonnullas poſtulat conditiones: tres ex parte operis, videlicet, vt ſit bonũ, liberũ & proportionatum præmio: duas ex parte operantis, qui ſit in ſtatu viatoris, & gratiæ: vnã ex parte finis, qui ſit ſupernaturalis: aliã ex parte Dei, qui acceptet opus, promittẽdo præmiũ *ſub cõditione operis*: non n. poteſt ſe obligare Deus *ad exigendum ex iuſtitia*, niſi promiſſione interueniente, quâ ſeipſũ obligat *titulo fidelitatis*. Ecorum id, ꝙ dictũ eſt de merito cõmuni, intelligendum quoq; eſt de merito Chriſti; nam fuit verũ & propriũ meritum in Chriſto cũ omnibus conditionibus enumeratis, ad meritũ neceſſariis. 1. Operationes Chriſti erant bonæ moraliter, nec poterant eſſe malæ. 2. Erãt liberæ libertate exercitii (vti aiũt Theologi) nõ ſpecificationis: ſiquidẽ nõ erãt liberæ ad bonũ & ad malũ; ſed intra rationẽ boni, poterat n. hoc aut aliud bonũ facere. 3. Erant prȩmio proportionatiſſima propter dignitatẽ Perſonȩ operantis. 4. Conſtit. erat in ſtatu viatoris, q̃a erat in via ad impaſſ. aæ. & ad gloriã corporis. 5. Erat in ſtatu gratiȩ: & gratiȩ vnionis, & gratiȩ habitual. 6. Operabatur propter finẽ ſupernaturalẽ, & abſq; eo actiones eius naturales ſummè meritoriæ erant propter dignitatem perſonæ. 7. Deniq; operationes erant à Deo acceptatæ *ad premium infinitum*, aut neceſſariò, aut liberè, quod Scholaſticis relinquo diſcutiendum. Et hæc ſufficiant pro breui intelligentia eſſentiæ theſauri meritorum Chriſti. Nunc eiusdem exponemus proprietates.

Prima proprietas. Eſt theſaurus nobis ſummè neceſſarius; etenim, ſuppoſito, ꝙ Deus volebat ſibi ex toto rigore iuſtitiæ ſatisfieri propter offenſam per peccatũ Adami illatam, ſatisfactio debebat eſſe infinita, proportionata offenſæ infinitæ, & quia hȩc pſtari poterat à puro Deo

*Caiet. tom. 3 opuſc. t. 10. c. 9.*

hic ſolus ſatisfacere non poſſit humiliando ſe alteri ſe ſuperiori: neque à puro homine, cùm infinitam ſatisfactionem exhibere nequeat; neceſſarius fuit aduentus Chriſti, qui ſimul eſſet Deus & Homo, &, ut Homo, ageret ſatisfactionem, vt Deus, daret valorem & infinitatem illius. Neceſſarius igitur eſt theſaurus meritorum & ſatisfactionum Chriſti, quo iuſtitiæ Dei plenaria exhibetur ſatisfactio pro noſtris peccatis.

Secunda proprietas. Eſt theſaurus vtiliſſimus. Quia merita noſtra non ſolùm fundata habemus in meritis Chriſti, & ab illis dependentia, verùm etiam nobis, in quantum ſumus membra vnam & eandem perſonam myſticam cum Chriſto, tanquàm cum capite, conſtituentia, eadem Chriſti merita attribuuntur vt propria.

*Aug. de Doctr. Chriſt. c. 31.*

Quod etiam confirmat Auguſtinus *ex regula Tychonii*, illius eandem reddens rationem: *Tranſitur à capite ad corpus, & à corpore ad caput: quia non receditur ab vna, eademque perſona.* Et huius cauſa coniunctionis meritorum noſtrorum cum meritis Chriſti, de nobis verificari ac dici poteſt, quod mereamur non duntaxat *ex iuſtitia*, ſed etiam *ex omni rigore iuſtitiæ.* Eandem ob cauſam Deus præmiando merita noſtra, præmium concedit *vltra condignum*: quia reſpicit etiam merita Chriſti. Fœliciſſima ſanè vnio, digniſſima coniunctio! Cum hac & per hanc omnem, qui eſt in meritis noſtris, ſupplemus defectum. *Quidquid deeſt mihi*, dicebat

*S. Bernard*

Bernardus, *ſuppleo mihi ex meritis Chriſti.* Quare optimum documentum eſt, & conſilium, nè operemur tanquàm membrum duntaxat; ſed tanquàm perſona vna cum Chriſto, offerendo Patri æterno noſtra merita cum meritis Chriſti. Hinc ſequitur, quintuplici ex capite merita noſtra dependere à meritis Chriſti, 1. Quoad gratiam, quæ eſt principium meriti: hæc enim gratia datur nobis per merita Chriſti. 2. Quò ad auxilia ſupernaturalia, tàm antecedentia, quàm conſequentia gratiam: quia hæc quoque habemus per merita Chriſti. 3. Quò ad acceptationem ad præmium: nam opera noſtra bona in tantum à Deo ordinantur ad meritum, & acceptantur ad præmium, eiſque promittitur merces ſub conditione operis; in quantum is mouetur à meritis

Christi, 4. Quò ad ſupplementum defectuum: quia ... merita Christi ſuppletur defectus noſtrorum meri-... 5. & vltimò. Quò ad vnionem: nàm meri-... noſtra vnita ſunt, & coniuncta cum meritis Christi, ... in vna eademque perſona, non naturali, ſed my-... vt dictum eſt.

Tertia proprietas. Eſt theſaurus ſufficientiſſimus: ... Christus nobis promeruit gloriam, ſufficientiſ-... ſoluendo pretium Sanguinis ſui. *Bonum au-... eſt Sanguis Christi, diues ad pretium, ad lauandum ... peccatum profluus.* Sicq; gloria cœleſtis, vtpotè, ... & pro nobis comparata, nobis iam iam parata eſt, ... poſita pro nobis nos exſpectat, & ſola deeſt poſſeſ-... Noſtra eſt quantùm ad ius, non eſt tamen noſtra ... quantùm ad poſſeſſionem. Et ſi poſſeſſio fit *per poſi-... pedum*, tunc eam poſſidebimus, quando in ea-... collocabimus totum amorem & affectum noſtrum. ... Rex quiſpiam compararet ciuitatem aliquam pro v-... ſubditis ſuis, & ſoluendo pretium Patrono diceret: ... pro mea perſona, ſed pro tali aut nomine talis com-... hanc vrbem: quotieſcunque is voluerit, trades ... poſſeſſionem illius: ſubditus abs dubio vrbis huius ... dominium; at nunquàm illam poſſideret, niſi ... propria perſona illùc iret poſſeſſum illam. Ad eun-... modum Christus D. N. emit à Patre ſuo cœleſtem ... gloriam ſoluendo pretium Sanguinis, non pro ſe, ſed ... nobis eam comparauit: ipſe enim eadem iam frue-... *ex debito vnionis*, vult igitur illam nobis dare *ex de-... meriti*; ſed eum hac conditione, vt ipſimet venia-... accepium illius poſſeſſionẽ, & niſi in propria venia-... perſona, omni priuemur iure & dominio. Quare ... æterna eſt noſtra, non iam à nobis comparanda; ... vt fruamur illâ, ſolùm eò iter conſtituendum eſt; & ... *nihil inquinatum intrabit in eam*; primò neceſſe ... nos mundemus & expurgemus ab omni peccati ma-... ab omni reatu & obligatione pœnæ. Hoc ipſum ... innuit Christus D. N. per parabolam nuptiarum, ... quibus illi duntaxat inuitati excluſi fuère, qui *neglexe-... venire*, bonis terrenis inhiantes. Pro praxi huc ... dictorum capiamus exemplum à D. Bernardo,

*S. Ambroſ. pſal. 35.*

quâ ratione reſpondere oportreat Diabolo diffidentiâ
aut deſperatione nos tentanti: reſpondeamus, iterum,
cum viro ſancto: Chriſtus duplici titulo obtinuit glo-
riam, titulo, videlicet, vnionis, & meriti: & ratione
primi ipſe eâ contentus eſt, ratione ſecundi eiuſdem
nos efficit participes: quapropter in meritis Chriſti
habeo ius ad gloriam, & cooperando in virtute eorun-
dem meritorum obtinebo illius poſſeſſionem.

Quarta proprietas. Eſt theſaurus eminentiſſimus
propter infinitum, quem in ſe continet, valorem & di-
gnitatem meritorum & ſatisfactionum. Infinitus va-
lor meritorum Chriſti duplici ex capite deſumi poteſt. 1.
Ex infinita dignitate Perſonæ verbi. 2. Ex infinita di-
gnitate naturæ humanæ, conſideratæ, non ſecundùm
puram naturam humanam; ſed vt eſt ſanctificata & Dei-
ficata à natura Diuina.

Primũ probatur ex illo principio philoſophico, quòd
*actiones non ſunt formarum, ſed ſuppoſitorum*: quia for-
ma (vti aiunt) eſt principium, vt *Quo*; ſuppoſitum
verò, vt *Quod*, id eſt, ſuppoſitum aut perſona eſt princi-
piũ, quod propriè operatur, & cui attribuitur operatio: at
mediante formâ, tanquàm principio ſuo immediato
operatiuo. Ex hac doctrina ſequitur, Verbum Diui-
num, quod proprium erat in Chriſto ſuppoſitum, ope-
rari cunctas actiones, humanas & Diuinas: humanas
mediante naturâ humanâ: Diuinas, mediante Diuinâ.
Quapropter Apoſtolus Deo attribuit actum reconcilia-
tionis Mundi, Diuino, nimirùm, ſuppoſito, quod erat in
2.Cor.5. Chriſto: *Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi*,
ſed mediante Humanitate ſuâ. Vndè ad eundem actum
ſatisfactionis & reconciliationis concurrebat & natura
humana quò ad ſubſtantiam operis ſeu actus, & Perſona
Diuina quantùm ad valorem. Quemadmodum pictura,
cùm perficitur à pictore, quò ad ſubſt. dependet à manu
pictoris; quantùm verò ad modum artificioſum à ratio-
ris arte dependens eſt: ad eundem modum ſatisfactio &
redemptio noſtra, quantùm ad ſubſtantiam, dependet à
natura humana Chriſti: at quantùm ad modum (quòd
nimirùm, ſit redemptio infiniti valoris, ac de omni ri-
gore iuſtitiæ) dependenter habet à Perſona Diuinâ. Sup-
poſito

[Po]ſito ergò hoc principio, primum punctum probatum [re]manet, quia, vt benè aduertit Caietanus, in operatione 3.p.q.1.art.2.
Chriſti, tàm actiua, quàm paſſiua, duo conſiderari poſ-
[ſu]nt: primum, *quod ſit operatio*: ſecundum, *quod ſit talis*,
[vi]delicet *Perſonæ Diuinæ vt proprii ſuppoſiti*. In prima con-
[ſid]eratione operatio Chriſti erat finita: in ſecunda erat
[in]finita, videlicet, infiniti meriti, infinitæ ſatiſ-
[fa]ctionis, & infinitæ impetrationis, propter
[ſu]um infinitum valorem, quem ab infinita Diuinæ Perſo-
[n]æ operantis dignitate recipiebat, ac propterà, vt idem
[D]octor ſubiungit, Paſſio Chriſti, *licet fuerit bonum fini-*
[t]*um eſſentialiter; fuit tamen bonum infinitum perſonali-*
[ter]. Et hoc ſufficiat pro primo puncto.

Probatur nunc ſecundum punctum. Quia Diuinitas
[Ch]riſti non immediatè, ſed mediatè Humanitati in Perſo-
[n]a Verbi, *ad modum formæ*, ſanctificabat & Deificabat na-
[t]uram humanam: quemadmodum ignis ferro vnitus, *ad*
[mo]*dum formæ*, calefacit, & ignitum facit efficit ferrum.
Quâ de cauſa operationes, vt procedebant à natura hu-
mana ſic ſanctificata & Deificata reddebantur in ſe Dei-
[ric]æ & Diuinæ, ac per conſequens infinitæ dignitatis &
[v]aloris in merito & ſatisfactione: propter eandem ra-
[ti]onem omnis actio Chriſti ſimul humana eſt, & Diuina, S.T.q.19. art.1.
[v]nde in græco idiomate dicuntur *actiones Theandricæ*,
[i]d eſt, *Dei viriles*, *Dei virique*. Etenim humanæ ſunt, in quã- S. Dion. Epiſt. ad Caium.
[t]um procedunt à natura humana: & Diuinæ, in quantũ
[ſu]nt actiones propriæ Perſonæ Diuinæ & humanæ à Di- S. Amb. lib. 3. de fide. c. 19.
[ui]nitate Deificatæ.

Ex huc uſque dictis tria ſuboriuntur dubia.

Primum. Si quodlibet Chriſti opus fuit infiniti meriti
[&] ſatisfactionis, quia Perſonę Diuinæ dignitas æqualiter
[&] indiuiſibiliter dignificabat omnia: ergò quæcunque
Chriſti actio ſufficiens erat noſtræ Redemptioni.

Secundum. Si meritum Paſſionis Chriſti eſt infinitũ:
[er]go, cùm Chriſtus ſolus, abſque ulla ope noſtra abun-
[da]ntiſſimè iam ſatisfecerit, ſuperfluum eſt meritũ noſtrũ.

Tertiũ. Bonitas ſatisfactionis Chriſti videtur eſſe in-
[fe]rior ipſa peccati malitia: enimverò malitia peccati eſt
[contr]a Deũ, in quantũ eſt Deus, at ſatisfactio eſto proce-
[d]at à Chriſto, qui eſt Deus; attamẽ non eſt à Chriſto, in
quantum Deus, ſed in quantum homo eſt; ergò pro tali
[inj]uria *ad æqualitatem* ſatisfacere nequit.

*S T quolib. 2 art. 2.*

Ad primum reſpondetur cum S. Thoma, ad comparandam rem aliquam vltra quantitatem pretii requiri inſuper deputationem pretii: Chriſtus igitur Dominus noſter pro ſalutis noſtræ pretio deputauit & obtulit non vnam duntaxat actionem meritoriam; ſed omnes totius vitæ, Paſſionis & mortis ſuæ.

Ad ſecundum reſpondetur, neceſſarium quoque eſſe meritum noſtrum: quia Deus non ſolùm acceptat nos per Chriſtum ad gloriam, veluti puerulos cum baptiſmo ex hac vita migrantes; ſed etiam ad meritum gloriæ: quod ſecundum S. Thomam nobis magis glorioſum eſt. Vndè Chriſtus D. N. non tantùm nobis promeruit gloriam; verùm etiam illius meritum

Ad tertium reſpõdetur, ſatisfactionem eſſe à Chriſto; & quidem quò ad ſubſtantiam, eſt à Chriſto, in quantum homo eſt: quò ad valorem verò, eſt ab eodem, in quantùm eſt Deus. Quapropter non tantùm æqualis fuit offenſæ; ſed etiam ipſam excedens: Deo enim infinitè plùs placuit bonitas ſatisfactionis Chriſti, quàm diſplicuit peccati malitia. Quemadmodum, inquit D. Chryſoſtomus, ſi quis pro debito decem ſcutorum, ſeu aureorum hanc perſolueret ſummam, & inſuper alia innumera auri talenta, *vinctumque in Regalem aulam* *duceret*. Et ad hoc idem ſignificandum myſterium, optat Concilium Triburenſe, quod conſecraturus calicem in ſacrificio Miſſæ maiorem vini quàm aquæ apponat quantitatem, quo denotatur, valorem meritorum Chriſti longè excedere malitiam peccati. *Vt vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundet & gratia.*

*S. Chryſoſt. Hom. 10. in Epiſ. ad Rom. 4.*

*Ad Rom. 5.*

Quinta proprietas. Eſt theſaurus puriſſimus: venim venit Chriſtus in carne, non vt nobis naturæ ac fortunæ; ſed Diuina gratiæ & gloriæ mereretur bona. *Chriſtus non pro hominibus, vt crearentur, paſſus eſt; ſed vt impii iuſtificarentur, & hæc eſt gratia data per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quam commendabat Apoſtolus, ſcilicet, gratia iuſtificationis, non creationis.* Iure merito igitur Chriſti merita dici debent puriſſima, cùm Deum purè reſpiciant, mereanturq; maiorẽ Dei gloriam; nõ in creatione Mundi, non in ſapientia Philoſophorum, nec in potentia Imperatorum mundanorum, ...

*S. Aug.*

ſpirituali duntaxat, & ſupernaturali potentia anima-
rum. Et in hoc merita noſtra conformanda ſunt me-
ritis Chriſti, ſicuti effectus cauſis ſuis aſſimilari debent:
vt, nimirùm, applicemus merita noſtra propter bona æ-
terna, non propter temporalia: laboremus & ſudemus
propter æternitatem, non propter temporis breuita-
tem: omnem curam ac ſollicitudinem ponamus in ac-
quirendis, non naturæ & fortunæ; ſed ſupernaturali-
bus gratiæ bonis: plura pacis complectar, non niſi illud
ſtudeamus promereri præmium, quod etiam promeruit
Chriſtus, quod eſt præmium gratiæ & gloriæ.

Sexta proprietas. Eſt theſaurus miſericordiâ uberrimus:
quia Chriſtus ſanctiſſimis ſuis mediantibus meritis ſem-
per aſſiſtit Patri ſuo æterno, *ſemper viuēs ad interpellan-* *Hebr. 7.*
*dum pro nobis*, ſemper coram Patre clamando & peten-
do miſericordiam: miſericordiam nobis, & iuſtitiam
ſibi: ſiquidem dona gratiæ, quæ ex purâ liberalitate no-
bis exhiuentur, ex iuſtitia debentur meritis Chriſti, imò
ipſa merita noſtra non niſi *Dei* dona ſunt. Vndè S. Au- *S. Aug.*
guſtinus in illa verba: *Aſcendens in altum, dedit dona* *Epheſ. 4.*
*hominibus*, ait: *Hæc dona ſunt merita noſtra.* Quoties
Deus iuſtitiæ ſuæ motus debito Mundum caſtigaſſet, ac
in inferni abyſſum dediſſet præcipitem, niſi placatus
fuiſſet præſentia meritorum Chriſti pro Mundo pieta-
tem, veniam & miſericordiam continuò claman-
tium.

Septima & vltima proprietas. Eſt theſaurus glorio-
ſiſſimus: etenim Chriſti merita verum & vnicum fun-
damentum ſunt omnis noſtræ gloriæ, lætitiæ & gaudii.
Vndè Apoſtolus dicebat: *Abſit mihi gloriari niſi in Cru-* *Gal. 6.*
*ce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, videlicet, in meritis & fru-
ctibus Crucis Chriſti, qui ſunt etiam fructus & merita
noſtra, vt benè exponit S. Thomas. In meritis Crucis *D. Th.*
Chriſti conſiſtunt omnia motiua veræ lætitiæ & gaudii.

1. Eſt fundamentum veri gaudii, quod redierimus in
amicitiam Dei: id autem obtinuimus per merita Paſſio-
nis Chriſti, in hac enim euidens dilectionis Diuinæ de-
monſtratus argumentum. *O inæſtimabilis dilectio Cha-*
*ritatis! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti.*

2. Ingentis lætitiæ motiuum eſt adoptio magnæ ſci-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

entiæ; & hanc excellentiam reperit Apoſtolus in meritis
1. Cor. 2. Crucifixi: *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ie-*
*ſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

3. Glorioſum eſt magnâ pollere potentia & virtute;
1. Cor. 1. & hanc poſſidemus in cruce Chriſti & meritis eius. *Ver-*
*bum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia in autem, qui*
*ſalui fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt.*

4. Lætitiæ quoque materiam ſuppeditat, tranſire à
ſeruitute ad ſtatum libertatis: & hac fruimur in meritis
Rom. 9. Chriſti. *Vetus homo noſter crucifixus eſt, vt vltra non ſer-*
*uiamus peccato.*

5. Magnæ æſtimationis indicium eſt, ſi quis ad emi-
nentem quandam aſſumatur dignitatem: & nos per me-
rita Chriſti ingreſſum habemus & aditum ad dignita-
Hebr. 6. tem cœleſtis gloriæ. *Chriſtus per proprium Sanguinem*
*introiuit ſemel in Sancta, æterna Redemptione*, q. d. Chri-
ſtus per effuſionem Sanguinis ſui in die Aſcenſionis tan-
quàm ſummus Sacerdos intrauit *in Sancta Sanctorum*,
nempè, regnum cœlorum: nobis eandem etiam acqui-
rens gloriam cum æterna Redemptione.

6. Denique occaſione cuiuſdam victoriæ magnus ſit
applauſus nihilq; deeſt ad ſummam lætitiam; & nos per
Sanguinem Chriſti de cunctis inimicis noſtris reporta-
mus victoriam. *Expolians Principatus & Poteſtates, tra-*
*duxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo: id*
Coloſſ. c. 2. *eſt, in proprii corporis crucifixione*, veluti exponit Carthu-
Carthuſ. ſianus in hunc locum. Cum igitur Chriſti merita to-
tius noſtri boni origo ſint & principium, merito dici
Sap. 7. 11. poteſt: *Venerunt nobis omnia bona pariter cum illa*; nec
in vlla alia re nobis gaudendum, aut gloriandum eſt, niſi
*in Cruce & in meritis Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.*
Vt propterea theſaurus meritorum Chriſti apprimè di-
catur glorioſus.

## *De effectibus meritorum Paſſionis Chriſti D. N.*

MErita Chriſti, vtpotè, infinito ſuffulta valore, ad
merendum non ipſimet Chriſto duntaxat; ſed et-
iam aliis, nempè, Angelis & hominibus ſufficientiſſima
fuêre. Videbimus igitur, quid ſibi promeruerit Chriſtus
D. N., quid Angelis, quid etiam hominibus.

Quantùm ad primum, tres perfectionū ſpecies in Chri- S.Thom.q.
o cōſiderari poſſunt. Prima eſt ſubſtantialis, & eſt vnio 19. art. 3.
erſonalis: ſecunda eſt accidentalis interna, vti ſunt ha-
us ſupernaturales gratiæ & virtutū: tertia eſt acciden-
lis externa, & eſt gloria corporis & nominis exaltatio:
uper Reſurrectio, Aſcenſio & Poteſtas iudiciaria.
Certum eſt, & extra omnem controuerſiam, Chriſtū
on meruiſſe ſibi primam perfectionem: quia concerne-
t primum eſſe, & ipſam ſpectabat Chriſti eſſentiam, er-
o nec vllam præſupponebat operationem, quâ mediāte
omereri poſſet. Præterea gratia habitualis, quia eſt
incipium meriti, non cadit ſub meritum; quāto minùs
atia Vnionis, quæ omnis omninò meriti, imò ipſius-
et etiam gratiæ principium eſt, ſub meritum cadere
oterit? Neq; ſecundam perfectionem Chriſtus ſibi pro-
eruit: etenim iuxta doctrinam S. Thomæ, *perfectius eſt
are ex habitu, quàm ad habitum.* Quare ſolam tertiā
eruit ſibi perfectionem: nam quamuis gloriam corpo-
cum exaltationis Nominis deberetur Chriſto *ex de-
cōnaturali:* ad maiorem tamen Chriſti perfectionem
ducebat, vt illam alio quoq; meriti titulo obtineret: ſi-
dē omnes operationes à Chriſto Domino factæ cun-
conditionibus ad merendū neceſſariis inſtructę erāt.
Quantùm ad ſecundum, Chriſtus D. N. S. Angelis
eruit omnia dona prædeſtinationis, gratiæ actualis,
atiæ habitualis & gloriæ: quia, ſecundùm doctrinam D. S.T.q.29.
gelici, Chriſtus eſt caput, non hominū duntaxat, ſed de Verit. a.
a Angelorum: ergò in hos etiam influit effectus gratię, 7. ad 8. & 3.
æterea, Chriſtus per principium vniuerſale gratiæ, & p. q. 21. art.
*primū in illo genere:* omnes igitur alia gratia dependet 4. ad 2.
gratia Chriſti: ergò etiam gratia Angelorum: eſto non
icatur Chriſtus paſſus & mortuus pro Angelis. Quem-
odū Chriſt⁹ ſibi quoq; meruit in Paſſione ſua: tametſi
n dicatur paſſus & mortuus pro ſeipſo, ſed pro nobis,
de ſequitur, Chriſtū fuiſſe, Iuſtificatorē, Sanctificato-
& Glorificatorē Angelorū, non autem Redemptorē.
Quantum ad tertium. Chriſtus per Paſſionem ſuam
meruit nobis cunctos effectus, incipendo à primo ef-
u prædeſtinationis ad vltimū vſq; glorificationis; et-
m Chriſtus fuit perfectiſſ. noſter Redemptor & Salua-
; ergò nobis promeruit omnes gratias ad ſalutem
intrin-

intrinſecè neceſſarias. Inſuper eſt principium vniuerſale & primum in genere gratiæ: ergò omnis gratia dependet à Chriſto, iuxta illud Euang. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Idem quoque dicendum eſt de Patribus antiquis ante aduentum Chriſti; qui habuerunt gratiam *per merita Chriſti præviſa.* At dicet quiſpiam: cur non habuerunt etiam gloriam? Reſpondeo, non habuiſſe iſtam, primò, quia non pertinebat ad amicitiam Dei, veluti gratia, ac propterea differri poterat. Secundò, quia iuxta ordinationem & diſpoſitionem Diuinam, priusquam aperiretur cœliporta, patereque aditus ad æternam gloriam, Chriſtus ſatisfacere debebat pro peccato originali, tanquàm pro peccato quod naturam humanam infecerat, idq; præſtitit Chriſtus in cruce. Gratia etiam Protoparentis noſtri Adami in ſtatu innocentiæ, data ei fuit per merita Chriſti; quia ſecundùm S. Thomam, *habuit fidem Chriſti venturi;* at non in carne paſſibili, eò quod non prçuiderit peccatum ſuum.

Ioan. 1.16.

2.2. q. 2. art. 7.

Concludo cùm authoritate Concilii Tridentini excellentiſſimè declarantis, quanta ſit dependentia noſtra à Chriſto in materia gratiæ. *Non habet homo vnde glorietur: ſed omnis glorificatia noſtra in Chriſto eſt in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ: qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Seſſ. 14 c. 8.

## *De modo applicationis meritorum Chriſti D. N.*

DVo conſiderarare poſſumus in meritis Chriſti ſufficientiam & efficaciam: ſufficientia eſt in nobis ſine nobis, efficacia eſt in nobis, at non ſine nobis: etenim abſoluta Dei voluntas hæc eſt, vt nonniſi cooperatione noſtra mediante effectuum gratię meritorum Chriſti efficiamur participes: ſiquidem non ſolum vt habeamus merita Chriſti, tanquàm merita Capitis noſtri; verùm etiam propria habeamus merita & ratione ſtricta, dependentia tamen à meritis Chriſti, veluti ſupra

...um eſt. Quapropter nil aliud eſt communicare & applicare nobis merita Chriſti, quàm acquirere merita ...pria dependentia à meritis Chriſti, vel acquirere gra...m per merita Chriſti. Ac proindè, quotieſcunque ...rcemus aliquod bonum & pium opus, & nonnullos ...tiæ grâdus acquirimus; toties applicamus nobis ...rita Chriſti, aſſequimur gratiam per merita Chriſti. ...dè hæc applicatio non intelligitur fieri immediatè, ... mediante gratiâ communicatâ nobis per merita ...riſti. Hæc applicatio fit duobus modis: primò, *ex ...re operato*, mediantibus ſanctis Sacramentis; ſecundò, ...*opere operantis*, medio exercitio virtutum: quia, vt ef...ctiuè gratiarum Chriſti reddamur participes, neceſſè ...t, nos incorporemus Chriſto, tanquàm membra Capi..., quod fit mediante gratiâ acquiſita, vel in Sacramen...to, vel extra Sacramentum.

Ex dictis ſequitur, quod, quemadmodum nil prodeſt medicina, niſi applicata, ita nihil proſunt & iuuant meri...ta Chriſti, niſi effectiuè participata: & ſicut peccatum ...dæ nonniſi ei nocet & damnum infert, qui ſeſe vnit A...dæ *per ſeminalem generationem*; ità à contrario merita Chriſti nonniſi eum iuuant qui *per ſpiritualem genera...tionem* ſe Chriſto coniunxit. Ac propterea in ſacra Scriptura dicitur, quod Chriſtus nos lauet, & nos quo...que lauemus animas noſtras. De Chriſto quidem dici...tur: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ...ſuo*: de hominibus verò: *Lauerunt ſtolas ſuas in Sanguine* *Ioiſ. c. 1.*
*Agni.* Chriſtus enim lauat quò ad ſufficientiam, & nos *Apoc. c. 1. & 7.*
...operamur quoque quò ad efficaciam. Et hæc circa doctrinam ſufficiant.

Vt verò ad praxin huius applicationis deſcendamus, dico eam modis pluribus faciendam eſſe.

Primò, poſtulando eam à Deo & à Chriſto: petendo efficaciam meritorum eius, quod eſt idem, ac petere efficaciam gratiæ, aut gratiam efficacem per merita Chriſti: ...ſumque rogando, vt nobis concedat non tantùm poſſe ...operari benè; ſed etiam bonum operandi actum.

Secundò, Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ, quæ à SS. Pa...tribus ſanguinis meritorumq; Chriſti Diſpenſatrix ap...pellatur, ſupplicandò, vt à ſuo perdilecto Filio eandem nobis impetret efficaciam.

Tertiò, rogando Deum, vt cotinuiam nobis concedat Paſſionis Chriſti memoriam.

Quartò, exorando Deum, vt nobis tribuat occaſionem patiendi cum Chriſto, & compatiendi Crucifixo; quia ſicut patiendo Chriſtus Caput noſtrum concurrit quò ad ſufficientiam meritorum ſuorum; ita viciſſim patiendo concurrere debent membra quò ad efficaciam.

Quintò & vltimò, magnâ cum vbertate contingit hæc applicatio in deuota ſanctiſſimi altaris Sacramenti ſumptione.

Ad eandem applicationem multùm conducit ſublenatio mentis in cœlum cum conſideratione, quatenus merita Chriſti aſſiſtant ante conſpectum Dei. S. Ioannes
Apoc. 4. eadem conſpexit in forma maris. (*In conſpectu ſedis tan-*
*quàm mare vitreum ſimile cryſtallo*) & in forma altaris,
Apoc. 8. in quo erat ignis & incenſum; ſicut etiam ſub ſymbolo
Apoc. 5. occiſi Agni. *In medio throni, &c. Agnum ſtantem tan-*
*quàm occiſum.* Et meritò ſub figura aquæ, ignis, & incenſi ſignificantur Chriſti merita; quia animas noſtras lauant, purificant, ac ſuauiſſimo virtutum Deo gratiſſimarum adimplent odore. Sed præ cæteris ante Dei conſpectum ſtabat Agnus occiſus, videlicet Chriſtus cum ſanctiſſimis plagis, author & cauſa omnium meritorum. In quibus viſionibus duo, quæ ad fructum conducunt, aduertenda ſunt. Primum, quod *Ange-*
Apoc. 8. *lus accipiebat ignem de Altari, & mittebat in terram,* &
ſignificat Chriſtum ſummam habentem authoritatem, cui conuenit donare Eccleſiæ merita ſua, vt & abundantiſſimè præſtitit in die Penthecoſtes. Secundum, quod omnes Sancti in cœlo Chriſto gratias perſoluebant pro tanta gratia, cantando *canticum nouum,* in lau-
Apoc. 5. dem Chriſti, dicendo: *Dignus es, Domine, accipere li-*
*brum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & re-*
*demiſti nos Deo in Sanguine tuo.* In hac gratiarum actione Sanctos illos imitari debemus, vt infrà dicetur. Et hæc ſufficiant circa applicationem meritorum Chriſti.

CAP.

# CAP. XII.

## *De gratitudine beneficio Paſſionis Chriſti D.N debita.*

Virtus gratitudinis, iuxta Doctorem Angelicum, 2. 2. q. 106.
*...tur gratiam dantis: & vbi eſt maior gratia ex parte ...; ibi requiritur maior gratitudo ex parte recipien-...* Vult dicere, gratitudo proportionari debet benefi-cio; & quò magis creſcit magnitudo beneficii, tantò et-... maior eſſe debet gratiarum actio & gratitudo pro beneficio. Quod ſi igitur beneficium Redemptionis ... Chriſtum in Paſſione ſua nobis præſtitum eſt valo-ris infiniti, & ex parte Donantis, qui erat Verb. Diuinũ: ... parte doni, quod erat vita Chriſti, vita Dei, Sanguis Chriſti, Sanguis Dei, eſt valoris infiniti, propter vnio-... cum Perſona Diuina: & ex parte modi, nam cõtulit ... hoc donum cum infinito charitatis affectu, ſum-... ſuo dolore & opprobrio: igitur iuxta infinitam do-... magnitudinem infinitæ à nobis referendæ eſſent ...æ, infinita eſſe deberet gratitudo noſtra. Quia verò ... nobis impoſſibile eſt, monitum mediumque, quo & S. ...ardus frequenter vſus fuit: nobis adhibendum eſt: *...quid mihi deeſt*, inquiebat ille, *ſuppleo mihi de meri-... Chriſti.* Chriſto ſatisfacere nequeo propria gratia-... actione pro beneficiis ab eo acceptis: ipſiuſmet igi-... Chriſti gratiarum actione ſatisfacere debeo, idque ...bus modis: primò, gratificando Chriſto noſtrâ no-... gratitudine dependente à Chriſti gratitudine. Se-...do, gratias referendo Chriſto cum infinita ipſiuſmet ... gratiarum actione.

Quoad praxin primi modi, Chriſto pro beneficio Paſ- S. Tho. loc.
...ſuæ grati eſſe debem' tribus modis: corde, linguâ, *ſup. cit.*
...nu. Primò, corde: qualibet, nimirũ, horâ memoriâ ...endo aliquod myſterium Paſſionis Chriſti, eo mo-... quo mox dicetur, præter meditationem, quam ...dem materia ſingulis diebus manè inſtitues. Se-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cundò, linguâ, myſterii huius mentionem faciens, tres
eliciendo actus: gratiarum actionis, contritionis, & petitionis, dicendo: gratias tibi ago, Domine, pro hoc myſterio: peto à te humillimè veniam; ac poſtulo myſterii illius efficaciam. Tertiò, manu. Et quia gratitudo, ſecundùm Sanctum Thomam debet eſſe *in eodem*
q. 106. a 6. *genere*; quemadmodùm Christus in Paſſione tradidit
pro nobis, ſcilicet, pati, mori, & donare nobis ſalutem animæ; ita grato animo eadem Chriſto referre debemus, pro Chriſto lubenter patiendo, deſiderando mori pro Chriſto, & eidem cooperando in zelo ſalutis animarum.

Quò ad praxin ſecundi modi aduertendum eſt, quòd, cùm in Chriſto Perſona referens gratias fuerit Diuina & infinita, gratiarum actio à Chriſto exhibita fuerit pariter Diuina & infinita, qua adæquatè ſatisfecit Patri æterno pro cunctis beneficiis & nobis, & Humanitati ſuæ exhibitis. In Chriſto neutiquam aderat impedimentum, quod eſt in nobis, qui nec Deo, nec Chriſto pro acceptis beneficiis æquiualens referre valemus: quapropter quò plures creatura gratias Deo refert, eò magis idem obligata remanet, cùm ipſamet gratiarum actio ſit nouum beneficium. Verùm in Chriſto, vt notat Caietanus, Verbum Diuinum, quod erat perſona re-
3. p. q. 1. a. 2.
ferens gratias, noui beneficii incapax erat; ergò pro beneficiis Humanitati ſuæ conceſſis æquiualens reddere poterat. Cùm igitur gratiarum actio à Chriſto exhibita fuerit infinita *perſonaliter*, vti dictum eſt, cum eadem & Deo, & Chriſto æquiualens reddere debemus. Quod
Pſal. 115. idem ſentire videtur Regius Propheta hiſcè verbis: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit, mihi?* Qua ratione Chriſto æquiualens reddere potero pro tot tantiſque beneficiis, præſertim verò pro beneficio Paſſionis ſuæ? *Calicem ſalutaris accipiam*, ipſum Paſſionis ſuæ calicem accipiam, & eodem obligationi meæ adæquatè ſatisfaciam.

# CAP. XIII.

## *De Excellentiis Sanguinis Chriſti D. N.*

## Excellentia I.

EST Sanguis Diuinus. Primò, quia eſt Sanguis Dei. *Poſuit vos Spiritus Sanctus regere Eccleſiam, quam acquiſiuit Sanguine ſuo.* Secundò, quia eſt Sanguis vnitæ Perſonæ Diuinæ Verbi, veluti definitur à Clement. 6 *quod vna gutta Sanguinis Chriſti erat ſufficiens pretium noſtræ Redemptionis per vnionem ad Verbum.* *S. Thom. opuſc. 58. cap 27.*

## Excellentia II.

Eſt Sanguis infinitus in dignitate & valore, ac proinde infiniti meriti & ſatisfactionis ad ſatisfaciendum pro peccatis totius Mundi, infinitorumque Mundorum, ſi coexiſterent. Et hæc infinitas, non tantùm erat in effuſione Sanguinis Chriſti, quia operatio Diuina fuit; ſed etiam reperiebatur in Sanguine effuſio propter vnionem intrinſecam cum Verbo Diuino. Vndè pateſcit differentia inter lachrymas & Sanguinem Chriſti: enimverò illæ ſolùm habebant infinitatem extrinſecam, in quantum erant ſuppoſiti Diuini: at Sanguis vltra hanc extrinſecam infinitatem habebat etiam aliam quandam intrinſecam ratione vnionis cum Verbo Diuino, vti dictum fuit.

## Excellentia III.

Eſt cauſa noſtræ ſalutis: nam quamuis hic titulus cuilibet competat operationi Chriſti; nihilominùs peculiari modo attribuitur Chriſti Sanguini: etenim Deus voluit, vt Redemptio noſtra per Paſſionem & Sangui-

nem Chriſti perficeretur & compleretur, iuxta illud A-
*Epheſ.1.* poſtoli: *In quo habemus Redemptionem per Sanguinem eius.* Eſt verò ſalutis noſtræ cauſa tribus modis, eſt enim cauſa meritoria, effectiua & exemplaris, Prima ap-plicare poteſt ad effuſionem Sanguinis; Secunda ad San-guinem effuſum, tanquàm inſtrumentum coniunctum Diuinitati; Tertia ad vtrumque ſimul.

## Excellentia IV.

*Pſal.80.* Eſt Sanguis ſuauiſſimus. *De petra, melle ſaturauit eos, de Sanguine, de corpore Chriſti*, vt exponit S. Thomas. Hæc ſuauitas & dulcedo Sanguinis Chriſti duos cauſat
*Prov.27.* effectus in anima. Primus eſt rerum mundanarum
*Pſal.41.* deſpectus: *Anima ſatiata calcabit fauum.* Secundus eſt deſiderium rerum æternarum: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Et merito Chriſti Sanguis com-paratur melli: Sicut enim mel in ſubſtantia ſua dulciſſi-
*Plinius lib. 22.c.24.* mum eſt, & in virtute efficaciſſimum (*corpora putreſcere non ſinit, vulnera ſanat*) Ad eundem modum Sanguis Chriſti eandem in ſe continet dulcedinem, & quidem dulcedinem per eſſentiam, quæ eſt ipſamet Diuinitas, cui vnitur vnione Verbi? & ſanat ac præſeruat animam ab omni peccati corruptione.

## Excellentia V.

Eſt Victoria contra Diabolum. Quemadmodum enim Chriſtus Sanguine ſuo poſtrauit Diabolum: ita nos eodem Sanguine triumphamus & reportamus vi-ctoriam de eodem Dæmone. Cuius veritatem ipſe-met Diabolus falſus fuit: etenim S. Eadmundo Epiſcopo Cantuarienſi vice quadam ipſum alloquenti: *Adiuro te*
*Vincent. Bellu. ſpec. Hiſtor.* *per Sanguinem Ieſu Chriſti, ut dicas mihi, quid eſt illud, in quo faciliùs te vincere poſſum?* reſpondit: *Idem, quod nominaſti.* Et diſparuit.

Excel-

## Excellentia VI.

Eſt fortitudo in anguſtiis & tribulationibus. Dicere ſolebat S. Catherina: panis durus, ſi madefiat, facilè manducatur: pari modo tribulatio, ſi conſideratione nectetur in Sanguine Chriſti, facilè ſupportatur. Hoc ...m ſemel conſuluit Saluator noſter cuidam perſonæ ...ſtæ, cui apparens dixit: *Omne durum intinge in la...neum, & erit tibi totum ſuaue.* Specul. exemp d. q. num. 159.

## Excellentia VII

Sanguis Chriſti eſt fons aquæ viuæ. *Fons aquæ ſali...tis in vitam æternam*: Tres dantur effectus aquæ: ab...ere maculas, fœcundare terram, & extinguere ſitim. ...dem in anima efficit operationes Sanguis Chriſti ...diante gratiâ: mundat eam à peccatis, fertilem vbe...que reddit virtutibus, omniumque mundanorum ...um extinguit ſitim. Ioan. 24.

## Excellentia VIII.

Eſt Teſtamentum Chriſti. *Hic Calix nouum teſta...mentum eſt in meo Sanguin.* Et differt hoc teſtamentum ...aliis, quia in aliis ſolùm datur ius ad hæreditatem: hic ...amet datur hæreditas, quæ eſt Sanguis Chriſti cum ...initate. 1. Cor. 11.

## Excellentia IX.

Sanguis Chriſti eſt Purpura cœleſtis. De qua S. Bo...nauentura loquens ait: *Sic indutus Purpurâ Sanguinis Chriſti poteris Regis palatium introire.* Et etiam Veſtis ...nuptialis, ſine qua nullus admittitur ad nuptias Agni. Vndè Sanguini Chriſti attribuitur quoque titulus *Clauis Paradiſi.* S. Bona. Stim. d. a. p. 3. c. 12. S. Ambr.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Excellentia X.

*Cant.5.* Eſt Sanguis vnitus & coniunctus lacti. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Videlicet, vinum Sanguinis Chriſti cum lacte ſanctiſſimæ Matris eius. Sanguis Chriſti vires tibi addit in adverſitatibus, & lac ſanctiſſimæ Virginis conſolationem. Hos duos effectus expertus fuit S. Auguſtinus, quando dicebat: *Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab vbere: quò me vertam, neſcio.*

## Excellentia XI.

Sanguis Chriſti eſt Supplementum Diuinum, Quem-cunque noſtrum defectum perfectionis ſupplere debemus per Sanguinem Chriſti. Haud aliter faciebat S. *Apud Bloſ.* Bernardus dicens: *Quidquid mihi deeſt, ſupplementum de Sanguine Chriſti.* Modum ſupplendi Saluator noſter docuit ſanctam Methildim, eidem ſuadens, vt pro propria inobedientia Deo ac Chriſto offerret ipſius Chriſti obedientiam, pro ſuperbia ſua humilitatem Chriſti, & ſic de reliquis virtutibus.

## Excellentia XII

Sanguis Chriſti eſt propprium animæ obiectum; enimuero cunctos illius ſenſus interiores confortat & conſolatur. Colore ſuo delectat ſenſum viſus: odore *Spec. exemplor.* ſenſum odoratus; ſapore ſenſum guſtus. Comprobat vice quadam Saluator noſter cuidam Matronæ, cui nomen erat Catharina, non alio fine, niſi vt eandem ad amorem ſuum accenderet, & paratæ ſimul aſſidens menſæ, quidquid tangebat Chriſtus (adhuc à muliere illa incognitus) *Sanguine colorabatur, cum maximo odore* ſapore. Et cauſam illius ſciſcitanti reſpondit: *Quia quidquid manducat & bibit Chriſtianus, Chriſti Sanguine debet eſſe intinctum.* Quo edocemur, animam noſtram cujusuis rei mundanæ, vti & ſuiipſius obli-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tam conſideratione & contemplatione Sanguinis Chriſti abſorptam viuere debere, Diuinam admirando pulchritudinem, guſtando infinitam dulcedinem, odorando immenſam illam omnium virtutum fragrantiam, ibidem tanquam in proprio fonte reſidentem.

## Excellentia XIII.

Eſt Sanguis memorabilis. Virtus Sanguinis Chriſti, ſecundùm Doctorem Angelicum, continua debet eſſe in noſtra memoria, in intellectu, & in voluntate: Sicuti ſanguis Agni erat in ſuperliminari, *& in vtroque poſte.* Præterea, iuxta eundem, anima deuota ſtare debet à dextris Chriſti Crucifixi, *& reuerenter Sanguinem Chriſti in calice, id eſt, in proprio corde recondere*: vbi anima ingrata & beneficii accepti immemor ſtat à ſiniſtris, ſpernit ac in terram profundit eundem Sanguinem.

*Opuſc. 84. c. 31.*

*Exod. c. 12.*

Effectus, quos recipit anima grata, tres ſunt; lumen, gaudium & corona gloriæ: anima ingrata tres alios recipit effectus contrarios; tenebras, triſtitiam, & priuationem gloriæ. *Væ nobis, quia peccauimus! Ideò obſcurati ſunt oculi noſtri, mœſtum factum eſt cor noſtrum, cecidit corona capitis noſtri.* Hac mediate memoria acquiritur efficacia & applicatio Sanguinis Chriſti. Quia, ſecundùm Angelicum, tribus modis Chriſti Sanguis conſiderari poteſt: *vt in Cruce funditur, vt in Sacramento ſumitur, & vt ſpiritualiter bibitur* in exercitio virtutum. In primo modo habetur ſufficientia Sanguinis Chriſti; in ſecundo & tertio modo efficacia & applicatio.

*Thren. 5.*

*Opuſc. 58. c. 24.*

# CAP. XIV.

## *De nonnullis dubiis circa Paſſionem Chriſti occurrentibus.*

QVandoquidem Paſſio Saluatoris noſtri debet eſſe obiectum & materia, noſtrarum non meditationum & orationum duntaxat; verùm etiam noſtrorum colloquiorum & diſcurſuum congruum omninò mali viſum fuit, & vtile praxi, præcedentibus capitulis præſens annectere, tum, vt hac ratione ſubminiſtrarem materiam loquendi & diſcurrendi de laudabili adeò, ſummèque neceſſario ſubiecto, tùm etiam, vt ſuppeditarem occaſionem inueniendi alia documenta & myſteria ad eandem materiam ſpectantia.

## Dubium Primum.

### *Vtrum ſanctiſſima Chriſti anima fuerit capax paſſionum.*

*S. Tho. 3. p. q. 15. art. 4.* Reſponſio eſt affirmatiua, & de fide, ſicuti de fide eſt, animam eius fuiſſe paſſibilem in corpore paſſibili. Ratio eſt, quia ille affectus animæ, qui dicitur paſſio non eſt malus, neque ex natura ſua dicit imperfectionem, etenim ſolum certam quandam importat commotionem & paſſionem corporis, à qua nomen recipit paſſionis, non corporalis, ſed animalis: ergò poterat eſſe in Chriſto Quod deindè modum loquendi concernit, *Vaſq. diſp. 34 ſect. 2.* videlic. illi affectus animæ Chriſti abſolutè dici debeant Paſſiones, an verò cum aliquo adiuncto Propaſſiones, ex dictis liquidò conſtat, & euidens eſt, illos abſolutè dici poſſe Paſſiones, eò quod abſolutè non dicant aliquam imperfectionem, quamuis alii, vt ſignificent paſſiones Christi nullâ ratione fuiſſe inordinatas, veluti noſtræ *Caiet. l. c.* ſunt (quæ turbant rationem, præueniunt voluntatem, incli-

clinant ad malum) paſsiones Chriſti non appellent ab-
ſolutè paſsiones; ſed propaſsiones. Igitur in Chriſto
fuere propriè paſsiones animæ, eiusque ſanctisſima a-
nima paſsionum capax fuit: eſto minimè ſubiecta fue-
rit paſsionibus, quia non fuerunt in Chriſto neceſſariæ;
ſed voluntariæ, & liberæ, ac ſine vlla prorſus imperfe-
ctione.

## Dubium Secundum.

### *Vtrum in anima Chriſti fuerit paſsio triſtitiæ?*

Reſponſio eſt affirmatiua & de fide. *Triſtis eſt ani-* *Matth. 26.*
*ma mea vſque ad mortem.* Et probatur ratione D. An- *q. 25. art. 6.*
gelici, quia ſicut in Chriſto verus extitit dolor ex *læſiuo*
*mali*; ita vera fuit triſtitia *ex læſiuo intentionali & appre-*
*henſo.* Hæc triſtitia non tantùm fuit in appetitu ſen-
ſitiuo Chriſti; verùm etiam in appetitu & voluntate
rationali, vt ſic non corporis duntaxat, ſed etiam animæ
paſsionibus Diuinæ ſatisfaceret iuſtitiæ pro peccatis
noſtris. Aſt hîc noua exſurgit difficultas, quia gaudi-
um beatificum animæ Chriſti, veluti infinitum, exclu- *Suarez*
dit omnem triſtitiam, ergò &c. Reſpondeo, triſtitiam *diſp. 28.*
& gaudium miraculosè ac virtute Diuinâ ſimul ſtare *ſect. 3.*
poſſe in eadem Chriſti voluntate, quia erant circa di-
uerſa obiecta: triſtitia quidem circa offenſam Dei;
gaudium circa viſionem Dei. Quod ſi circa idem ver-
ſabantur obiectum, propter diuerſa motiua verſaban-
tur; enimuerò triſtabatur ratione mortis ſuæ, vt eſt de-
ſtructiua naturæ: gaudebat de eadem morte, vt erat
glorificata Dei. Fuit igitur in Chriſto paſsio tri-
ſtitiæ, & cum ſummo gaudio ſumma et-
iam triſtitiæ.

Du-

# Dubium Tertium.

## *An in Chriſto fuerit verus timor mortis?*

*S. Mar. 14.* Reſponſio eſt affirmatiua, & de fide. *Cœpit pauere.*
*S. T. q. 15. art. 7.* Ratio eſt, quia ſicuti ſanctiſſima Chriſti anima triſtitiâ
perfundebatur apprehendendo malum præſens; ita ti-
mebat apprehendendo malum futurum mortis. Verum
duæ ex hoc Chriſti timore pullulant difficultates: pri-
ma, quâ ratione timebat mortem, ſi illam deſiderabat?
*Luc. 22.* *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.*
Secunda, quomodo timebat ſudando ſanguinem, cùm
timor reuocet, retrahatque ſanguinem ad cuſtodiam
cordis? Reſpondeo primæ difficultati; timebat, ſimul-
ac deſiderabat mortem; at ſecundùm diuerſas rationes:
timebat mortem, vt propriæ naturæ contrariam; deſide-
*Alenſis 3. p. q. 14. mēb. 5. art. 1.* rabat eandem, & conformem voluntatem Dei: vel iux-
ta Alenſem, timebat mortem voluntate naturali, deſi-
derabat eandem voluntate rationali. Quapro-
*S. Athanaſ.* pter, ſecundùm Athanaſium, *geminum velle oſten-*
*dit Chriſtus in horto: alterum humanum, recuſando: al-*
*Beda.* *terum Diuinum, affectando mortem. Et in perſona in-*
*firmorum* (ſubiungit Beda) dicebat, *Tranſeat, & in perſo-*
*na perfectorum* dicebat, *Fiat voluntas Dei.* Reſpondeo
ſecundæ difficultati, quod, quia affectus timoris ſu-
perabatur ab affectu fortitudinis, ideò ſanguis non pe-
tiit cordis receptaculum; ſed foràs prodiit: ergo in
Chriſto verus & proprius fuit timor mortis, ſed ſecun-
dùm voluntatem naturalem, vti dictum eſt; enimverò
ſecundùm rationalem, quemadmodum notat Alenſis
loco citato, nullus in Chriſto extitit timor, quia
*nullus fuit Martyr, qui ex Charitate tan-*
*tùm deſiderabat mori, ſicut*
*Chriſtus.*

# Dubium Quartum.

*Vtrum dolor Chriſti, tàm internus, quàm externus, fuerit ſummus, ac omnium vitæ huius dolorum maximus.*

Reſpondeo primò, fuiſſe ſummum reſpectu ſubiecti, [*q. 46. art. 6*] quod erat delicatiſſimæ, tenerrimæ, ac ſummè ſenſitiuæ complexionis: vndè, quamuis nonnulli Martyrum maiora ſubierint martyria & tormenta; nihilominùs maiorem haud ſentère dolorem & paſſionem. Quod aliqui exponunt & declarant per hunc locum Scripturæ; *ſuper lapidem vnum ſeptem oculi.* Chriſtus enim petra ſimul & oculi pupilla eſt: [*Exob. in Evang. lib. 5. Zach. c. 3.*] *lapis*, ſeu petra, *ad ſuſtinendum, pupilla oculi ad ſentiendum.*

Reſpondeo ſecundò, dolorem Chriſti fuiſſe ſummum & maximum omnium abſolutè loquendo. Siquidem non eos duntaxat, quos referunt & depingunt Euangeliſtæ, dolores pertulit Chriſtus D.N. ſed & plures alios, & innumero, & in qualitate excedentes, & cuncti manifeſtabuntur in extremo Iudicii die ad conſolationem bonorum, impiorumque confuſionem, veluti ſentit S. Hieronymus, & reuelatum etiam fuit S. Franciſcæ Romanæ. [*S. Hieron. In vita S. Franciſ. Rom.*] Magnitudo dolorum Chriſti ex triplici capite oſtendi poteſt: primò, ex ſumma Dei ira in peccatum: *& Iniquitatem omnium noſtrum poſuit ſuper eum*, nimirum, Chriſtum. [*Iſa. 53.*] Secundò, ex poteſtate conceſſa Dæmoni (*Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarũ*) [*Luc. 22.*] *& non cũ limitatione*, quemadmodum data fuit Diabolo affligunti ipſum Job [*Iob. 2*] (*Animã illius ſerua*) In Chriſtum namq; data fuit ſine vlla limitatione, & *vſq; ad morti incluſiuè.* Tertiò, ex ardentiſſima, quam Chriſtus habebat, voluntate patiẽdi: vndè paſſus fuit & cũ omni voluntatis plenitudine, & cum omni dolorum puritate, cunctam etiam à ſe remouendo conſolationem. Quapropter Propheta Iſaias ſummam Chriſti expoſiturus ignominiam, ſummamque dolorem, duos ei attribuit titulos, appellando [*Iſa. 53.*] eum, *nouiſſimum virorum, & virum dolorum*: quod (vt colligitur ex aliis lectionibus & expoſitionibus SS. Patrum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trum) idem eſt, ac ſi diceret, abiectiſſimum & excuſſiſſimum omnium hominum totius Mundi; Verum ex dictis aliud conſurgit dubium: an dolor Christi fuerit etiam maior illo, quem animæ ſeperatæ patiuntur in Inferno, aut in Purgatorio?. Reſpondeo cum S. Thoma negatiuè, nam ſicut Gloria Sanctorum omnia huius vitæ excedit bona; ita dolor animarum ſeparatarum cunctos præſentis vitæ ſuperat dolores. Ratio huius eſt, quia eſt dolor *ſuperioris ordinis*: qui progeneratur ex pœna damni, ſcilicet ex gloria amiſſa aut dilata.

*q. 49. a. 6. ad 3. Suarez. diſp 36. ſect. 2.*

## Dubium Quintum.

### *Vtrum dolor Chriſti extiterit quoque in ſuperiori parte Animæ.*

Reſpondeo affirmatiuè; ſanctiſſima etenim Christi Anima dolebat de peccato, pro vt eſt offenſa Dei: & dolebat de morte ſuâ, non tantùm, vt eſt contraria propriæ naturæ; verùm etiam, quia ita volebat Deus, vt doleret, talemque caperet dolorem in ſatisfactionem pro peccatis noſtris: ergò Chriſti dolor fuit etiam in parte aut portione ſuperiori: nam, ſecundùm D. Auguſtinum, tunc anima dicitur operari ſecundùm partem ſuperiorem, quando mouetur ab obiecto formali & motiuo ſupernaturali, tametſi obiectum materiale ſit naturale. Si quisquam timet mortem, quia debet deſerere bona, aut timet Deum, quia eum Deus caſtigat in hac vita: operatur ſecundùm partem inferiorem; at ſi timet mortem aut Deum propter motiuum ſupernaturale, operatur ſecundùm partem ſuperiorem.

*Aug. de Trinit. lib. 12 & 14. Vaſq. 3. p. diſp. 73. c. 4.*

Dubi-

# Dubium Sextum.

*An Chriſtus in horto ſudauerit verum & proprium Sanguinem naturalem?*

Reſpondeo affirmatiuè. Quia, vt probant Philoſophi, naturale eſt ſudare ſanguinem, quando duæ concurrunt conditiones: prima, exceſſus triſtitiæ: ſecunda, defectus ſudoris. Utraque conditio fuit in Chriſto: quia triſtitia eius fuit valdè vehemens, & propter tenuitatem corporis nulla ſudoris aderat materia; igitur Sanguis, quem Chriſtus ſudauit fuit naturalis, & quantùm ad ſubſtantiam, & quantùm ad modum; nam è poris corporis Chriſti promanauit naturaliter, & ſine miraculo.

Huic doctrinæ ſolùm obſtant, & aduerſari videntur verba Euangeliſtæ dicentis: *Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis*: vbi particula (*ſicut*) ſignificat ſimilitudinem, non proprietatem: Reſpondeo primò, particulam (*ſicut*) cadere ſupra dictionem (*gutta*) non ſupra dictionem (*ſanguinis*) Non enim Sanguis Chriſti, è poris corporis eius prodiens, tenuis erat & ſubtilis, ſed craſſus, & in carne Chriſti condenſatus propter ſanguinem coactarum. Quapropter guttæ, quam Græcus textus vocat guttam ſanguinis, aſſimilabatur; at intus verus & naturalis ſanguis erat. Reſpondeo ſecundò ex communi ſententia, dictionem (*ſicut*) frequenter in S. Scriptura ſignificare proprietatem, non ſimilitudinem, veluti patet ex illo Ioannis: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi* (id eſt (verè) *Vnigeniti à Patre.* Marc. 22.

# Dubium Septimum.

*Quomodo Angelus confortarit Chriſtum in agonia poſitum.*

Reſpondeo primò, quod ipſum cõfortarit, admirando & prædicando ipſius fortitudinem hiſcè aut ſimilibus verbis iuxta Epiphanium: *Tua eſt adoratio, Domine, tuum* S. Epiph. Hæreſ. 69.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tuum eſt dominium, tua eſt potentia, tua eſt fortitudo.*
Angelus ille fuit Gabriel, aut certè Archangelus Mi-
chaël cum tota ſua cœleſti militia. Reſpondeo ſecun-
3.p. q. 11. art. — dò, cum Doctore Angelico, & Vener. Beda, Angelum
confortaſſe Chriſtum non tantùm deprædicando & lau-
dando eius fortitudinem, vt præfatum eſt; ſed etiam
conſolando, animando, & excitando fortitudinem Chri-
ſti. Enimuerò, ſicut propter nos, & ad demonſtran-
dam naturæ humanæ veritatem, & ad exhibendam ma-
Saurez. loco cit. — iorem humilitatem *elegit contriſtari*; ita & confortari;
&, vt benè aduertit Suarez, vt Angelus dicatur confor-
D.Thom. comm. — taſſe Chriſtum, ſufficit, quod, quantum fuit ex parte ſua,
propoſuerit rationes ſufficientes, & huic fini accommo-
das, tametſi Chriſtus, ne triſtitiæ remitteretur intenſio,
huiuſmodi noluerit admittere confortationem: ac pro-
pterea, ſubitò poſt viſitationem Angeli, *factus in ago-
nia, prolixiùs orabat.* Inſuper aduertendum eſt, Ange-
lum eiuſmodi actu non inſtruxiſſe, nec illuminaſſe ſan-
ctiſſimam Chriſti Animam; ſed eaſdem ei duntaxat
propoſuiſſe rationes, quas Chriſtus multò clariùs vi-
derat in ſua ſcientia beata & infuſa. Voluit verò Sal-
uator locum dare tali conſolationis officio, quem-
modum Filius cuiuſdam Regis interdum facere ſolet,
qui, vt Patrem ſuum graui in ſe ira commotum intelli-
git, obſequioſa cuiuſdam aulicorum ſuorum ſubmiſſè
admittit ſolatia. Congruè igitur dici poteſt, Saluato-
rem confortatum fuiſſe ab Angelo, primò laudando, de-
indè conſolando, quantùm pertinebat ad Angelum,
uti diximus. Primus modus eſt probabilis: ſecundus
colligitur ex Evangelio: nam ſecundùm regulam Scri-
pturæ verbum illud (*confortans*) propriè intelligendum
eſt, cùm Chriſtus, tanquàm homo, illius confortationis
iuxta ſenſum iam dictum, capax fuerit.
Gerſon de Paſſ. tom. 2. — Hîc rurſum poteſt inſtitui quæſtio, an idem Angelus
confortârit ſanctiſſimam quoque Virginem, & quâ ra-
tione? Reſpondet Gerſon affirmatiuè, & eodem modo,
quo confortauit Chriſtum: primò laudando fortitudi-
nem eius: ſecundò laudando & confortando ipſam, di-
cens: *Ne timeas Maria*, magna ac plurima ei proponen-
do bona & fructus ex Paſſione Filii ſecuturos.

Dubium

# Dubium Octauum.

## *De Miraculis in captiuitate Chriſti occurrentibus.*

Nonnulli volunt in hoc facto quatuor occurriſſe mi-racula: alii tria: communior ſententia eſt ſolùm duo eſſe patrata: primùm, quando vnico verbo (*Ego ſum*) eorum miniſtrorum turbam in terram dedit præcipitem: ſecundum, quando Malcho reſtituit auriculam. In hac Chriſti captiuitate notanda ſunt Euangeliſtarum ver-ba: *Manus iniecerunt in Ieſum. Tenuerunt & ligaue-runt eum.* Cuncti milites rabiem ſuam expleuêre in Chriſto, & eorum quidem numero mille erant: cohors enim, quæ acceſſerat ad comprehendendum Chriſtum, (ait S. Joannes) *Iudas cùm accepiſſet cohortem*) conſtituit vexillationem ſeu turmam mille militum. Ac primò, *Manus iniecerunt in Ieſum*: ferocibus eum excipindo verberibus, pugnis, colaphis, capillos, barbæque pilos euellendo. Secundò, *Tenuerunt eum*; ad terram pro-ſternendo, calcibus hinc & indè impetendo. Tertiò, *Ligauerunt eum*: variis modis, manus à tergo aſperis no-doſisque nexibus crudeliter reuinciendo, funes catenas-que collo iniiciendo. Idquè ſatis notum manifeſtum-que eſt, ex eo, quod catena ferrea collo eius iniecta Pa-riſiis adhuc aſſeruetur, quò à S. Ludouico Francorum Rege delata fuit ex vrbe Hieroſolymitana. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

# Dubium Nonum.

## *An, Iudæis Chriſtum capientibus, peccârint Apoſtoli fugiendo?*

Reſpondeo: eos excuſari non poſſe à delicto ſiue gra-ui, ſiue leui: etenim cauſa fugæ, vel fuit defectus fidei, quia ambigebant, an Chriſtus iisdem ferre poſſet ſup-

petias, & per conſequens, an eſſet Deus: aut certè cur-
ſa fugæ extitit paſſio quædam ſuperflui & inordinati ti-
moris mortis; enimuerò non fugiendum; ſed expectan-
dum eis erat, quouſque, quid agendum eſſet, à Chriſto
audiiſſent. Quæ ſententia confirmatur ex prædictione
Matth. 26. & præſagio Chriſti: *Scandalum patiemini in me in iſta*
*nocte.* At non ita culpabilis fuit Petrus amputans au-
riculam Malcho: vnde S. Chryſoſtomus, & S. Ambro-
ſius aſſerunt, actum illum è feruente amore, quo in
Chriſtum ferebatur proceſſiſſe; tametſi S. Auguſtinus
culpabilem eundem iudicet, & hac Chriſti reprehenſio-
loc. ne dignum: *Conuerte gladium tuum in vaginam: omnes*
*enim, qui acceperint glaudium, glaudio peribunt.*

## Dubium Decimum.

### *Cur Chriſtus in ædibus Annæ alapâ cæſus, non obſeruauerit conſilium Evangelicum?* Præbe ei alteram, ſcilicet, maxillam.

Matth. 5.

S. Aug. to. 11. c. 3. in Ioan. & l. de ſerm. Dom. in mont. c. 20. S. Ambr. Eſcob. Soc. Ieſu lib. 5. ſect. annot. 3. in Evãg.

Reſpondet S. Auguſtinus, conſilium illud intelligen-
dum eſſe *in præparatione animi.*

Reſpondet S. Ambroſius: *Præbe illi alteram, ſcilicet*
*alapam*, reſponſo humili, benigno, & placato, quo, ve-
uti alapâ, repercutitur percuſſor noſter.

Reſpondet quidam Neotericus, Chriſtum ad lite-
ram obſeruaſſe illud conſilium Evangelicum. Dicitur
namque: *Præbe ei alteram*, vt exceptio colaphi, ſeu ſecun-
da maxillæ percuſſio ſit voluntaria. Jam, primus cola-
phus, quo ab alio cædimur, eſt neceſſarius: vnde, vt ſit
voluntarius, ſecundæ percuſſioni maxillam præbere
Chriſtus imperat. In Chriſto non aderat hæc neceſſitas;
cùm enim colaphum maxillæ ſuæ impingendum præui-
diſſet, cumque acceptaſſet; iam illa prima per-
cuſſio voluntaria; ergò
&c.

Dubi-

# Dubium Vndecimum.

## *Quomodo Chriſtus fuerit flagellatus?*

Reſpondet S. Vincentius Ferrerius. Flagellatio Chriſti fuit *dura, durior, duriſſima.* Primò enim cæſus fuit virgis ſpineis. Secundò, flagellis aculeatis Tertiò, catenis vncis ferreis & cuſpidatis instructis, quibus caro eius diſtrahebatur, laniabaturquè.

*S. Vincent. Ferr. ſerm. de Paſſ. S. Chryſt. Euſeb.*

Circumſtantiæ flagellationis Chriſti fuêre plurimæ & doloroſiſſimæ. Primò namq; fuit Uniuerſalis per totum corpus, & per ſingula corporis membra, à capte ad pedes vſque: vndè ab Iſaia appellatur, *Vir dolorum*, homo totus vndequaque repletus & circumdatus doloribus (& vt transferunt Septuaginta; *Homo in plaga conſtitutus*) enimuerò caro Chriſti, quia innumeris ac diriſſimis vndique flagris conciſa remanſit, in vnam abiit plagam ad faciem vſque & oculos incluſiuè, vti videre eſt in ſacra Sindone. Secundò fuit flagellatio penetratiua: ſiquidem ad oſſa vſque penetrarunt flagella, vti reuelatum fuit S. Brigittæ: *Vidi corpus eius* (ita loquitur ſanctiſſima Virgo) *verberatum & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur.* Tertiò fuit dilaceratiua; enim dilacerabat, laniabat, & diriſſimè vndequaq; ſulcabat ſanctiſſimam Chriſti carnem, quæ ſimul cum ſanguine fruſtillatim auulſa in terram concidebat. *Infixis aculeis & retractis, non euellendo, ſed ſulcando, totum corpus eius lacerabatur.* Quarta fuit ignominioſa, eò quod coram numeroſa plebe totus nudus ſpectabatur absque vllo velamine, *& patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ:* cui verecundiæ accedebat tormentum frigoris ex denudatione, vulnerum hiatu, auraque rigidrori cauſatum. Deniq; fuit flagellatio ſanguinolenta ob magnam profuſi Sanguinis copiam: vt enim nonnulli Sancti per reuelationem acceperunt, ſparſit hoc in tormento alitsq; 125. guttulas ſanguinis.

*Iſa. 15.*

*S. Brig. lib. 1. c. 10 lib. 4. c. 10.*

*S. Brig.*

*S. Brig. S. Meth. S. Eliſ.*

Miniſtrorum huic Chriſti flagellationi operam dantium, iuxta reuelationem ſanctæ cuiusdam Virginis, fue-

*B. Mar. Magdal. de Pazzis Carm.*

fuêre ſeptuaginta : quamuis alii totam cohortem mil-
narium comprehendentem numerum, eidem flagel-
tioni interfuiſſe aſſerant. Quæ opinio ipſo, vt funda-
mento, nititur Evangelio : huius namque flagellationis
*Marc.15.* mentionem faciens ait : *Et congregauerunt ad eum vni-*
*Ludol. de* *uerſam cohortem.* Numerus plagarum Chriſti, vt ex
*vitaChriſt.* reuelatione cuiuſdam ſanctæ perſonæ refert Ludol-
*p.2.c.58.* phus, 5490. quæ ſimul cum vulneribus ſpinarum aliiſq;
computatæ faciunt 6666. Præterea hic aduertendum,
*Luc.23.* Saluatorem binis diſtinctis vicibus, diuerſiſque tempo-
ribus, vt alii volunt, diriſſimis cæſum fuiſſe flagellis, Pri-
mâ vice *ad correptionem (corripiam eum & dimittam)*
alterâ *ad crucifixionem* : Solebant namque Romani cru-
cifixioni præmittere rei flagellationem. Verùm, vt
euidenter colligitur ex Evangelio, vnâ duntaxat vice
Chriſtum flagellationi ſubiectum fuiſſe verius eſt. Ad
rationem in contrarium reſpondetur, quod eo ipſo, quo
flagellatus erat ad correptionem, ſimul flagellatus fuit
ad crucifixionem, & ad hanc iſta ſufficiebat; enim verò
lex præcipiebat flagellationem ; at non intentionem, &
vt fieret ad hunc finem crucifixionis. Et hæc ſufficiant
de flagellatione Chriſti.

# Dubium Duodecimum.

## *Quibus ſpinis Corona Chriſti contexta, qua-liſq; formæ extiterit?*

*S. Bon. in* Reſpondent nonnulli, eam ex iuncis marinis duriſſi-
*Ioan c.19.* mis fuiſſe contextam. Alii (& hæc eſt opinio commu-
*Hugo Card* nior ac probabilior) ex veris ac propriis ſpinis, & illâ
quidẽ ſpinarum ſpecie, quæ rhamnus dicitur, conglobа-
*Pſal.57.* tam volunt, teſte Prophetâ Ieſſæo : *Cùm intelligerent*
*Ex Bloſio* *ſpinæ veſtræ rhamnum.* Idque probatur primo, quia E-
*de Tripl.* uangelium non ait, *plectentes coronam de iuncis marinis,*
*Cruce.* ſed *de ſpinis.* Secundò, nam harum ſpinarum rhami
(quæ in Italia appellantur ſpinæ ſanctæ) magna copia &
abundantia eſt per totam regionem ditionis Hieroſoly-
mitanæ

mitanæ: vndè inuentu faciles, iunci verò marini diffi-
ciles repertu erant, cùm Mare longè diſtet ab Jeroſoly-
mis. Tertiò, quia quotieſcunque ſanctæ ſpinæ mira-
culosè floruêre, proprios naturalesque ſpinarum pro-
germina unt flores, vbi è contra iunci marini nullos flo- *S. Hieron.*
res proferunt. De ſpinis hiſce S. Hieronymus ſermo-
nem inſtituens inquit: *Eſt ſpinarum genus aſperrimum*
*aculeis, & floribus gratiſſimum: vndè iuſtis floret ad orna-*
*mentum, peccatoribus autem præbet ſpinas ad cruciatum.*

Spinarum harum tormentum grauiſſimum fuit & in-
tenſiſſimum; ſiquidem non pellem duntaxat & carnem;
ſed teſte D. Bernardo, ipſum etiam ós cranii ad cere-
brum vſque penetrârunt. Nonnulli volunt, binâ vice
hoc tormentum renouatum fuiſſe: ſemel in flagellatio-
ne, & ſemel ante crucifixionem, quando veſte inconſu-
tili indutus exutusque fuit: cùm enim veſtis illa ſuperi-
us admodùm ſtricta & anguſta eſſet, ſacrum Chriſti ver-
ticem coronâ ſpineâ cinctum, contectumque non capie-
bat: vndè eam deponerent, reponerentque Judæi, opor-
tebat, ſicque non tantùm priſtinas renouarunt; ſed &
nouas recentesque ſuperinduxêre plagas.

Quantùm ad numerum plagarum, quas ſpinæ illæ ve- *Ex Reue-*
nerando Chriſti capiti impreſſerunt, earundem 72. exti- *lat. S*
tiſſe reperio, quamuis alii ad ampliorem eas extendant *Franciſc.*
numerum, velintque fuiſſe earum 300. Ad formam *Romanæ.*
Coronæ quod attinet, S. Vincentius Ferrarius non ad *S. Vincent.*
modum circuli vult eam fuiſſe compoſitam, ſed ad mo- *Ferrar. ſer.*
dum pilei, qui totum caput tegebat & tangebat, ſimulac *de Paſſ.*
pungebat incredibili cum dolore.

## Dubium Decimum tertium.

*Quâ formâ, quibusque verbis Pilatus mortis pronunciarit ſententiam contra Chriſtum.*

Refert Adrichomius in deſcriptione Terræ ſanctæ, in

antiquis regionis iſtius Annalibus huius formæ, verborumque tenoris ſequentis repertam fuiſſe ſententiam, ex illis fideliter excerptam:

*IESVM Nazarenum, ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (vt maiorem ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt) ducite ad communis ſupplicii locum, & cum ludibrio Regiæ maieſtatis in medio duorum Latronum cruci affigite. I, lictor, expedi cruces.*

# Dubium Decimum quintum.

## *Cur Chriſtus D. N. ſolùm guſtarit, non biberit vinum myrrhatum?*

Reſpondeo, Chriſtum D. N. binâ vice potatum fuiſſe in Paſſione ſua: primâ vice vino myrrhato [à Iudæis in odium Chriſti] eoque felle permixto, quod dabatur ei ad obſtupefaciendos ſenſus, ne tales tantosq; perſentiret
*Prov. c. 31.* dolores: *Date ſiceram mœrentibus.* Vtriusq; mentionem
*Marc. 15.* faciunt Euangeliſtæ: *Dabant ei bibere myrrhatum vi-*
*Matth. 27.* *num,* inquit Euangeliſta vnus; alter: *Dederunt ei bibere vinum cum felle miſtum.* Hoc vinum myrrhatum, ſimul cum felle commixtum ſolùm guſtauit Chriſtus, non bibit: voluit namque fellis guſtare duntaxat amaritudinem, ſeque vini myrrhati priuare refocillatione. Quamuis duas diſtinctas vini ſpecies vaſculis diſtinctis exhibitas contendant Baronius, & Chriſto tenuenti vinum
*Anno 34.* myrrhatum, aliud vinum felle permiſtum à Iudæis porrectum fuiſſe velit. Verùm, vnicum ſolum adſeruiſſe, vt non e communis ſententia eſt. Eo verò tempore, vt nonnulli referunt, Chriſto Saluatori noſtro vinum hoc guſtandum exhibitum fuit, poſtquam conſcendiſſet Montem Caluariæ, & quando iam parabantur Cruces: *Nudus ...*
*Andrichom in deſcript. Terræ ſanctæ.* *vulneribus, vento & frigori expoſitus, ſuper lapidem ſedens, vino myrrhato, felle miſto potatus eſt.*

Alterâ vice Chriſtus potatus fuit in Cruce, quando dixit: *Sitio*, eoque tempore ſpongiam aceto plenam ori eius appoſuere. Hoc aceti vaſculum comportari ſolebat ad refocillandos reficiendosque eos omnes, qui cumque in via deficiebant.

De

# Dubium Decimum quintum.

## *Quis fuerit dolorum maximus, quem Chriſtus Saluator noſter in Cruce ſuſtinuit?*

Triſtitiam in horto fuiſſe dolorum omnium maximum nonnulli ſuſtinent, eò, quod tunc totius Paſsionis tormenta apprehendens omnia, vnà ſimul omnium tormentorum perſenſerit dolorem.

Alii volunt fuiſſe flagellationem; enimuerò tàm acerba & doloroſa extitit, vt, niſi natura humana Diuinæ nixa fuiſſet ſuſtentaculo, Chriſtus centiès in terram corruiſſet mortuus.

Sitim quam in Cruce ſenſit ob extremam itineris laſſitudinem, ob ſanguinis profuſi copiam, dolorisque vehementiam, maximũ fuiſſe tormentorum aſſerunt alii. Idq; non multùm abeſt ab experientia: nam, quando ſitis eſt ſummè intenſa & vehemens, quodcunque aliud ſuperat tormentum.

Contemplantur alii, incredibilem extitiſſe dolorem & tormentũ illud, quod tota nocte iſta, qua detentus fuit in ædibus Caiphæ, ſuſtinuit. Siquidem obſcurisſimo ac profundisſimo mancipatus fuit carceri, vbi per totam noctem *vſq; manè*, vt teſtis eſt D. Auguſtinus, mira crudelitatis ſubiit ſupplicia. Tormentum iſtius noctis ob varias circumſtãtias faciliùs meditatione, quàm calamo perſtringi, dicique poteſt tormentorum omnium fuiſſe maximum, quod Chriſtus D.N. perpeſſus fuit. Ac propterea nocte illa ſanctisſima Chriſti Anima ob ingentem patiendi deſiderium amoremque fuit *in deliciis. Nox illuminatio mea in deliciis meis.*

*S. Aug. de conſenſ. Evangeliſt*

*Pſal. 138.*

Alii, quemadmodũ ipſemet Chriſtus etiam reuelauit S. Bernardo ſummũ illũ meditantur fuiſſe dolorẽ, quẽ ex plaga in ſpina dorſi recepta percepit; tũ quia omniũ flagellorũ, quę eò terminabantur, meta fuit & receptaculũ;

etiam, quia crucem totam ei innixam geſtauit ad Montem Caluariæ vſque; tùm denique, quod ex crucifixione inexplicabilem in ea perſenſit dolorem. In hac patria detecta fuêre oſſa: Vndè idem Sanctus Vir à Christo iuſſus eſt accedere Vicarium ſuum, eique ſignificare, vt cuilibet in memoriam, reuerentiam & honorem horum trium oſſium tria *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria*, recitaturo peramplas elargiretur Indulgentias: quod & ſummus Pontifex promptiſſimè executus ſunt; nam omnibus & ſingulis præfatas perſoluturis orationes conceſſit 20000 0. annorum Indulgentias. Et hæc reuelatio aureis deſcripta literis legitur in monaſterio S Bernardi in Francia, eiusque authentica copia Romæ in ſacello S. Franciſci Aſſiſinatis exhibetur ſpectanda.

*In eius vita lib. 2. c. 19.*

Alii denique, veluti S. Catherina, volunt, dolorem pectoris, quem ex diſtenſione, ac proinde ex diſiunctione ac luxatione omnium oſſium coſtarumque pectoralium in cruce percepit, vt ſummum cæteris omnibus præferendum. Et eadem Sancta, quæ cunctos ſenſit dolores Paſſionis Christi, confeſſa eſt, maiorem ſe percepiſſe dolorem in pectore, vbi concurrunt omnia oſſa ad cordis cuſtodiam, quàm in quacunque alia corporis parte.

# Dubium Decimum Sextum.

## *Quot fuerint claui, quibus Chriſtus cruci affixus fuit?*

*S. Bon. de vita Chriſti c. 78.*
*S. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 6.*
*S. Brig. reuelat. lib. 4 c. 7. & alibi*

Tres ſolùm fuiſſe, volunt nonnulli cum S. Bonauentura: alii, inter quos recenſetur etiam Gregorius Turonenſis, quatuor fuiſſe contendunt. Sancta Brigitta expreſſè affirmat in ſuis reuelationibus, quatuor fuiſſe clauos, ita, vt pedes duobus affixi fuerint clauis, quorum vno primitùs pes ſiniſter, altero dexter ſiniſtro ſuperpoſitus confixus fuit. Quantùm ad numerum ictuum malleorum, ex reuelatione quorundam Sanctorum referunt aliqui, eorum fuiſſe 68.

# Dubium Decimum Septimum.

## *De Cauſa Conuerſionis boni Latronis.*

Principalis huius conuerſionis cauſa, vt communis docet Sanctorum ſententia, fuit interna motio & Spiritus Sancti illuminatio; tametſi quoque ad hunc finem multum conduxerit exemplum virtutis Chriſti, fama miraculorum aut viſu, vel auditu in prædicatione Christi perceptorum. Nõnulli pro cauſa aſsignant ipſa miracula in morte Chriſti occurrentia. Verum iuxta S. Matthæum boni Latronis conuerſio præceſsit Chriſti mortem: & ſecundùm S. Lucam ipſas etiam tenebras; miracula verò poſt mortem Chriſti patrata fuêre; ergò dictis miraculis bonus Latro moueri non poterat ad credendum in Chriſtum.

*S. Leo ſerm. 2. de Paſſ. Cyrill. in Catech. c. 13. S. Chryſoſt. Hom. 2. de de Cruce. Orig. Hom 35. in Matt.*

In eadem hac materia adhuc alia quædam occurrunt dubia. Primum: an bonus Latro priùs fuerit conuerſus ad fidem Chriſti, quàm in cruce, & iuxta Crucem Chriſti pendens, egerit pœnitentiam? Secundùm: an idem fuerit baptizatus? Tertium: an primus omnium ingreſſus fuerit paradiſum?

Primo reſpondet Suarez, nullam inuoluere impoſsibilitatem, quod eius conuerſio ad fidem præceſſerit eandem conuerſionem ad pœnitentiam in cruce elicitam, cum & prædicatione & miraculis Chriſti ad illam moueri poterit. Nihilominùs cum communi Patrum opinione dicendum eſt, huiuſmodi conuerſionem non præceſsiſſe, ſed ſimul contigiſſe in cruce.

*Suar. q. 46. art. 9. Comment.*

Secundo dubio reſpondet S. Cyprianus, S. Latronem fuiſſe Martyrem; ac proindè tanquàm Martyrem fuiſſe baptizatum *Baptiſmo ſanguinis.*

*S. Cypr. ſer. de Paſſ.*

Reſpondet S. Auguſtinus, eum potuiſſe baptizari *Baptiſmo aqua*, eâ, nempè aqua, quę fluxit ex latere Chriſti. Quod ipſi Suarez valdè difficile videtur, haud enim probabile

*S. Aug. lib. 4 de Baptiſ. c. 22.*

babile eſt, aquam illam cum tanto effluxiſſe impetu; & eſto etiam ibi adfuiſſet materia; baptiſmi tamen deerat forma cum perſona baptizante.

Reſpondent alii communiter (& hæc eſt probabilior opinio:) Latronem illum fuiſſe baptizatum Baptiſmo flaminis, qui eſt baptiſmus contritionis omnibus adultis neceſſarius & ſufficiens, quotieſcunque haberi nequit baptiſmus aquæ.

*S. Cyrill. Hieroſ. Cat.13.* Tertio dubio reſpondetur: eum non poſſe dici primum, abſolutè loquendo, qui viderit Deum, & per conſequẽs, ingreſſus fuerit paradiſum: etenim Chriſtus Dominus ante Latronem mortuus, deſcendit ad limbum: igitur ante Latronem Patres, qui in eodem limbo erant, viderunt Diuinam Eſſentiam. Nihilominùs reſpectiuè & quantum ad modum primus dici poteſt, qui ingreſſus fuerit paradiſum, & viderit Deum, quia, nimirum ſubitò vidit Deum poſt mortem (quod nemini Sanctorum Patrum antiquorum conceſſum fuit) gaudens priuilegio baptiſmi ſanguinis & aquæ, nec vllas purgatorii luens pœnas.

# Dubium Decimum Octauum.

## *An Chriſtus in Cruce condiderit teſtamentum ſuum?*

*S. Ambr. Epiſt.82.* Sunt, qui Chriſtum ſuum teſtamentum in Cruce condidiſſe opinantur. *Teſtabatur in Cruce Chriſtus, & inter Matrem atq; Diſcipulum diuidebat pietatis officia.* Ratio eſt, quia eo tempore Latroni, & in perſona eius cuicumque verè credenti ac pœnitenti promiſit hæreditatem.

*S. Dam. lib 4. c. 14.* Alii Chriſtum teſtamentum ſuum in Cœna feciſſe aſſerunt. *Ea nocte, quâ ſeipſum tradebat, teſtamentum nouum inſtituit.* Vtraque ſententia vera eſt. Vndè dicendum, illud Chriſtum condidiſſe teſtamentum ſuum in cœna, illudque confirmaſſe in Cruce: nam teſtamentum nil aliud eſt, quàm *diſpoſitio hæreditatis.* In Cæna Chriſt⁹ filiis ſuis le-

*Suar. diſp. 37 ſect. 4.*

gau

quit totam ſuam hæreditatem , totamque ſubſtantiam *Zach. c. 9.*
tradendo eis Corpus & Sanguinē ſuum, in quo conti-
netur omne bonum. *Quod eſt bonum eius, & quod eſt pul-
chrum eius? frumentum electorum, & vinum germinans
virgines.* At teſtamentum hoc confirmatum fuit Chriſti *Hebr. c. 9.*
morte in Cruce pendentis. (*Vbi teſtamentum eſt, mors,
neceſſe eſt, intercedat teſtatoris*) teſtatoris namque morte
irreuocabile redditur teſtamentum.

Inſuper aduertendum eſt, quod, cùm hæc Chriſti vo-
luntas (quâ de cœleſti diſponit hæreditate) contineatur
in Scriptura tùm veteri, tùm noua; ideò Sacra Scriptura
appellatur Teſtamentum vetus & nouum, propter di-
uerſitatem bonorum promiſſorum, aut temporalium,
vt in lege antiqua; aut æternorum, vt in lege noua. Et
hæc Chriſti diſpoſitio abſoluta non eſt; ſed conditiona-
ta: ſuppoſito nimirùm, ſi, vt veri obedientesque filii vi-
xerimus.

# Dubium Decimum Nonum.

## *An Chriſti latus dextrum lanceâ perforatum fuerit?*

Reſpondeo affirmatiuè. Idq; probatur ex ſancta Sin-
done, ex peruetuſta imaginis Chriſti Crucifixi pictura,
ex Reuelationibus S. Brigittæ, cui ſanctiſſima Virgo re-
uelauit, tanto cum impetu & violentia latus Chriſti per-
foſſum fuiſſe lancea, vt pariter latus aliud penetrauerit, ex
vno tranſiens, ad aliud, & cor in duas diſſecuerit partes: *S. Brig. lib.*
*ita, vt ambæ partes cordis eſſent in lancea.* Idem reuela- *1. c. 10. &*
tum fuit à Chriſto D.N. S. Franciſcæ Romanæ, cui inſu- *lib. 2. c. 21.*
per manifeſtatum, adeò paruiſſe hoc lateris vulnus, vt *S. Franc.*
commodè quinque digitos vnà capere potuerit. *Rom. lib. 3. c. 6.*

Qui verò lanceam intruſit lateri Chriſti, miles fuit; at
eum fuiſſe cœcum, & ex Sanguinis profuſione illumina- *Baron.*
tum minimè probabile cenſet Baronius; etenim veri- *Annal. 34.*
ſimile non eſt, militum quempiam eſſe cœcum.

Sang

*Suarez diſput. 41. ſect. 1.*

Sanguis, qui profluxit ex latere Chriſti, verus fuit & naturalis quò ad ſubſtantiam: at miraculoſus quò ad modum profluendi: ſiquidem è corporibus emortuis non fluit ſanguis liquidus; ſed congelatus. Aqua ſimiliter fuit vera & naturalis, nec vllus alius extitit humor (verba namque ſacrę Scripturæ propriè ſunt intelligenda, quandocunque non obſtat aliquid in contrarium) ſed miraculoſè producta, ad ſignificandum effectum Sanguinis Chriſti, qui eſt lauare animas. *Exiuit Sanguis & Aqua: Aqua, vt mundaret: Sanguis, vt redimeret.* Et innuenda etiam plura alia myſteria, vt exponunt SS. Patres.

*S. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. c. 1.*

Quò ad modum emanandi, quo è Chriſti latere emanauit Sanguis & Aqua, dico emanationem ſeu effluxum Sanguinis & Aquæ non fuiſſe confuſum, ſed diſtinctum: primò enim effluxit Sanguis, deindè Aqua, veluti explicat Euangeliſta.

# Dubium Vigeſimum.

## *De itinere, quod Chriſtus in Paſſione ſua pedes confecit, è cœnaculo eundo ad montem Caluariæ.*

Qui Terram ſanctam deſcribunt, diſtantiam locorum, in quibus Chriſtus Dominus Paſſionem ſuam perfecit, menſurant in hunc modum.

Ex cœnaculo ad hortum ſunt 750. paſſus.

Ab horto ad ædes Annæ vſque, idem interiacet paſſuum ſpatium, nimirum, 750. paſſus.

Ab ædibus Annæ ad ædes Caiphæ ſunt 330. paſſus.

Ab ædibus Caiphæ ad ædes Pilati 100. paſſus.

Ab ædibus Pilati ad ædes Herodis 350 paſſus.

Ab Herode ad Pilatum totidem.

Ab ædibus Pilati ad montem Caluariæ, 660. paſſus. Circa quæ aduertendum, quod cùm de paſſibus abſolutè mentio facta fuerit, hic per paſſus intelliguntur duntaxat ii, qui ſunt maiores, & nominantur geometrici

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

…i, quorum quilibet quinque continet pedes, ad differentiam paſſuum minorum, qui medietatem ſo…m, nempè, duos pedes cum dimidio continent. …dè mille paſſus maiores conficiunt vnum milliare, …mille minores medium milliare. Quapropter paſ…um mentionem ſupra facientes, intelleximus paſſus …ores & geometricos. Iter igitur, quod perfecit Chriſtus in Paſsione ſua, paſſus omnes ſupra enume…os in ſe comprehendit: qui in vnam redacti ſum…, in vniuerſum facient 3290. paſſus; ſeu tria …liaria cum ducentis & nonaginta paſsibus. …hoc itinere Chriſtus Dominus noſter non tantùm …ixitatem & laſsitudinem itineris; verùm etiam …ctas illas iniurias, deſpectus, ludibria, tyranni…, afflictiones, quæ vnquam à fera Judæorum ra…e prodire poterant, perpeſſus eſt. Conſtat etiam *S. Brig.* …euelatione, Chriſtum Dominum tùm barba, tùm *S. Methil.* …pillis cotrectatum à Judæis 333. vicibus. *S. Eliſab.*

Ab horto ad Annæ ædes vſque concidit in terram vi…ibus ſeptem in via, & tamdiu Sathanæ miniſtri eum …etiuêre calcibus & fuſtibus, quòuſque ſurgeret è …ra: Procedendo ad montem Caluariæ crucem ba…ans, quinque pariter vicibus in terram corruit. Ad…endum prætereà, quod Miniſtri crudeles torrentis *Landſp. de* …dron pontem pertranſeuntes; Chriſtum captum in *Paſſ art. 14* …us datum præcipitem duxerint traxerintque per vn… torrentis, vt ſic nec vllum in Chriſto prætermitterent …pietatis crudelitatisque experimentum. Vbi con…dera, quomodo pientiſsimus Dominus ex aquis …ſerit veſtimentis vndique madidis, qualemque fri…ris, temporisque hyemalis, quod tunc aderat, per…erit aſperitatem.

Denique memoriæ Sanguinis adiungenda eſt me…tio, meditationi oratio per viam aſpirationum & …onum iaculatoriarum. Porrò in ſequenti aut alia …li forma exerceri poterunt.

1. *Sanguis Chriſti laua me,*
   à maculis peccatorum.
2. *Sanguis Chriſti,ſana me,*
   ab inordinatis paſſionibus.
3. *Sanguis Chriſti,ſanctifica me,*
   gratiæ virtutumque habitibus.
4. *Sanguis Chriſti, illumina me,*
   viuacitate fidei.
5. *Sanguis Chriſti,eleua me,*
   certitudine ſpei.
6. *Sanguis Chriſti, accende me,*
   igne charitatis.
7. *Sanguis Chriſti, fortifica me.*
   tolerantia patiendi.
8. *Sanguis Chriſti, inebria me,*
   deſiderio Martyrii.
9. *Sanguis Chriſti,abſorbe me,*
   ab omni eſſe creatô, in totum eſſe Increatum Dei.

AMEN.

EXER-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# EXERCITIVM SECUNDUM.

## *De Deuotione erga ſanctiſſimum Altaris Sacramentum.*

THeſaurus inuiſus, quæ vtilitas? null *Ecclеſ. c. 4*
dubium eſt, theſaurum infinitum cunctas cœli diuitias, cunctasque Increati Incarnatique Verbi perfectiones in ſe comprehendentem eſſe ipſum Augu-
ſtiſſimum ac Sanctiſsimum Altaris Sacramentum. Aſt ſi
bonum adeò excellens, veluti ab oculo ſenſus remotum
eſt, & lumen rationis ſubterfugit; abſcondatur quoque
remoueaturque ab oculo fidei (cùm anima absque vlla
conſideratione & reflexione illud accedit recepitque)
... *Theſaurus inuiſus*, theſaurus incognitus, neque vl-
lum conferet emolumentum, ac nihil prorſus proderit.
... opinione S. Baſilii damnum apportabit: etenim *S. Baſil. lib.*
non malè duntaxat faciunt, *qui indignè accedunt*, verùm *1. de Bapt.*
etiam, *qui otioſè & inutiliter.* Rationem huius reddit: *c. 3.*
... ſi *qui otioſum verbum profert, offendit Spiritum ſan-
ctum, quantò magis qui irritum facit tantum, ac tale bo-
num*, qui, quantùm ex ſe eſt, otioſum efficit Verbum Di-
uinum, quia non permittit illud operari, quemadmo-
dum aliàs operaretur? vt igitur vltionem Diuinam &
... effugiamus, cœleſtis & excellentiſſimi doni hu-
ius non

ius non priuemur fructu, ſubminiſtremus verò materiam conſiderationi ac deuotioni Diuini huius myſterij accommodam; laconica, vt aiunt, breuitate, nonnulla materiæ huius tangemus puncta: Primum erit de excellentia Sanctisſimi Sacramenti. Secundum de natura eiuſdem. Tertium de proprietatibus. Quartum de effectibus. Quintum de præparatione. Sextum de gratiarum actione poſt communionem. Septimum de præſentia Venerabilis Sacramenti per diem habenda. Ultimum de duodecim fructibus Diuinæ huius Arboris vitæ, vt, *ſi nunquam otioſè accedis, nunquàm ſine fructu recedas.*

## Caput I.

### *De excellentia Sanctiſſimi Sacramenti in vnione ſacramentali.*

UNio hæc paucis exponitur à Sacris Doctoribus aſſerentibus eam ſimilem eſſe vnioni perſonali Verbi in Chriſto; quemadmodum enim hæc tres ſortitur proprietates: prima eſt communicatio Verbi; ſecunda, quod ſit exigitiua gratiæ & gloriæ; tertia, quod ſit transformatiua Humanitatis in Verbum; ad eundem modum vnio Sacramentalis nobis communicat Perſonam Verbi: tribuit ius ad noua dona gratiæ & gloriæ & transformat hominem in Chriſtum. Sed differunt hæ duæ vniones in modo; in Chriſto namque Diuina Perſona communicatur immediatè; nobis verò mediante Corpore Chriſti: in Chriſto vnio quaſi infinitam apportat gratiam; in nobis finitam: in Chriſto natura humana aſſumpta eſt in vnitatem Perſonæ, vbi Deus & Homo ſimul vna perſona eſt; in nobis fit vnio duarum perſonarum, noſtræ, videlicet, & illius Chriſti, vniunturque ambæ Sacramentali vnione media. Et hoc eſt, quod dici poteſt de tàm ſancta & admirabili vnione; quod, nimirum, ſit quaſi ſecunda quædam vnio perſonalis: vndè, qui digne eadem ſe communione reficit, ſecundum quaſi euadit Chriſtum.

Rationes deindè, ob quas Diuinæ complacuit Bonitati nos extollere ad præcelſam hanc vnionem, tres ſunt. Prima, vt ſatisfaceret naturæ noſtræ nobilitati; ſecunda, vt correſponderet ſtatus noſtri dignitati: tertia, vt immenſum Diuinæ ſuæ Charitatis exhiberet incendium.

Ad primam quod attinet, dico, capacitatem noſtræ naturæ eſſe infinitam; quia eſt Deificabilis, & capax naturalis filiationis Dei, eò quod Deus humanam noſtram naturam propria valeat exuere perſonalitate, exutamq; veſtire Diuina. Undè quò ad hoc natura noſtra capacitatem habet non duntaxat ſimilem; verùm etiam eandem cum natura humana Chriſti. Ex qua conſideratione in nobiſipſis formare debemus ſpiritum quendam heroicum, generoſum & magnanimum, *non deiiciendo nos de altitudine generoſitatis noſtræ*, non affectu ſubiiciendo nos ipſis creaturis; ſed conſeruando nos è terra eleuatos, vt ſatiati contentique ſimus altitudine & capacitate finis noſtri.

Quæri hoc loco poſſet, nùm licitum ſit deſiderare ultimum finem? Reſpondeo, deſiderare eum abſolutè, minimè licitum eſſe; benè tamen conditionatè, in hunc modum: Si placeret Domino Deo, ſanctiſſimæque eius voluntati, deſiderarem me coniungere & vnire Deo; maxima, quæ poſſibilis foret, vnione, qualis eſt vnio perſonalis: idque non propter proprium emolumentum & commodum, veluti appetiit Lucifer; ſed purè, vt eò plus diligerem Deum meum, nè ipſum offenderem, aut ampliùs offendere poſſem. Et hic actus non ſolùm licitus; ſed etiam bonus, ſanctus & meritorius eſt. Igitur, vt concludatur hæc prima ratio, Cùm Deus Ter Opt. Max. infinitæ ſuæ pietatis ac miſericordiæ contemplaretur oculo dignitatem naturæ noſtræ, adeò aptæ & capacis, vt, iuxta ſuperius dicta, propinquitatis communionisque vinculo poſſit coniungi Deo, non per gratiam duntaxat, ſed etiam per naturam, nec tamen correſpondere poſſet huiuſmodi celſitudini & capacitati vnione perſonali ſeu hypoſtatica: ſiquidem iam determinauerat, vt vnio hæc Chriſti tanquam Vnigeniti & naturalis æterni Patris Filii propria eſſet, aliam ei eligere communicare vnionem, illi tamen admodùm ſimilem,

S. Cyprian. lib. de ſpectac.

Sacramentalem, videlicet: quâ, ſi non in vnitatem perſonæ, quemadmodum Humanitas ſanctiſſima Chriſti ſe vniuit Verbo Diuino, ſaltem in vnionem perſonarum coniungamus Deo mediāte carne & Corpore Chriſti nobis in cibum dato, vti mox dicetur. Hic ergò finis & ſcopus Dei fuit in communicatione Sacramentalis huius vnionis: vt, nimirùm, ſuppleret defectum perſonalis & hypoſtaticæ vnionis, & non explendo capacitatem noſtram per primam vnionem, adimpleret eandem per ſecundam. Et hæc ſufficiant de prima ratione.

Quò ad ſecundam rationem dico, ſtatum vitamque noſtram ope inhærentis gratiæ eſſe Diuinam, igitur Deo incumbebat, vt nobis de conuenienti prouideret cibo Diuino. Etenim, vt eſt commune Sapientum axioma: vita & victus debent eſſe proportionati, *& iiſdem nutrimur, quibus conſtamus*: nec conuenit, vt, qui vitam ducit regiam, vilibus paſcatur cibis, neque, qui vilis abiectæque conditionis, ſtatus & vitæ eſt, cibis nutriatur regiis. Aſt quomodo Deus parauit hunc cibum Diuinum? Sola Diuinitas cibus noſter eſſe non poterat: impalpabilis enim eſt, ac proindè, vt ita loquar, neque eſt manducabilis. Multò minus ſola caro poterat eſſe cibus noſter: quia ex ſeipſa nullam habet virtutem, quâ animæ appetitum explere vel ſatiare poſſit. Vt igitur pareretur cibus, qui manducari, ſimulque poſſit ſatiare animam, vniatur Diuinitas carni, caro fiat Diuina, ſicque apparetur cibus noſter Diuinus. Conceptus eſt Theophilacti. *In hoc cibo non comedimus puram Diuinitatem, quia impalpabilis & incorporea, nec puram carnem, quia nihil poteſt proficere; ſed Carnem Dei, Carnem Verbi, Carnem viuificatam & Deificam.* Nam, vt exponit D. Cyrillus, *Deificum Dei Verbum vniens ſe ipſum propriæ Carni, facit illam viuificatricem.*

*Theophil. in cat. D. Th.*

*S. Cyrill. in Cat. D. Th.*

Reuertere igitur in teipſam, anima mea, & conſidera qualis ſit vita tua, vt cognoſcas, qualis cibus & victus tibi competat & conueniat. Quod ſi deprehenderis vitam tuam humanam & terrenam, hoc D. Auguſtini cape & ſequere conſilium, *muta vitam, ſi vis accipere vitam: ſi non mutas vitam, ad iudicium accipis vitam.*

*Aug. ſerm. 1 de temp.*

Tertia

Tertia ratio, ob quam Chriſtus ſeipſum dat in cibum eſt, vt infiniti amoris ſui ſatisfaceret ardori, nimirũ; nos in ſeipſum converteret, veluti facit cibus in re, quæ cibatur. Ita ſentit Nyſſenus, cùm ait: *Ob hanc cauſam eſcam ſe nobis proponit is, qui ſemper eſt, vt accipientes illum in nobis, id efficiamur, quod ipſe eſt.* Nyſſen. in Eccleſ. c. 3. Vnde poſitâ hac Chriſti voluntate, admirabilique illo Diuini ſui amoris effectu, non ſufficit dicere cum S. Paulo: *Viuit in me Chriſtus*; ſed dicendum cum D. Auguſtino *Viuo Chriſtus*: eâdem namque Chriſti vitâ viuo, viuo totus transformatus & conuerſus in Chriſtum, viuo Chriſtus. S. Aug. ſer. 2. de Verb. Dom. Neque hoc ſufficit, neceſſe eſt progrediaris vlteriùs & dicas: *Viuo Chriſtus, & hic crucifixus*; & non ſolùm dic cũ Apoſtolo: *Chriſto confixus ſum cruci*; ſed, *ſum Chriſtus confixus in cruce*: etenim Chriſtus in hoc Sacramentum venit in figura & memoria Crucifixi, cùm ſit Paſſionis eius memoriale.

Neque hic ſubſiſtit amor Diuinus; ſed altiùs aſcendit, optatque & vult, vt in eandem Chriſti Diuinitatem nos conuertamus, ac proindè non ſolùm dicere poſſit cum Auguſt. *Viuo Chriſtus*; ſed cum Cypriano: *Viuo Deus*. S. Cyprian. lib. de cœnæ Domini. Hic enim Venerabilis huius Sacramenti vltimus finis eſt, quemadmodum ipſemet Chriſtus ait: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ioan. c. 6. Nimirum, mediante cibo Carnis meæ, ego, qui ſum Perſona Diuina, ero in ipſo Diuinitate mea; & ipſe in me perfecta quadam vnione & transformatione. Et cum hoc amori Diuino ſtatuitur meta & terminus: totus enim homo, quantum poſſibile eſt, mutatur in Chriſtum, & omnes partes hominis in partes Chriſti: corpus in corpus: anima in animam: & ſpiritus, ſuperior pars animæ mutatur in Diuinitatem Chriſti. Et ſi pallium Eliæ, veluti notat Sanct. Chryſoſtomus, hanc in ſe continebat virtutem, vt Eliſeo communicaret ſpiritum Eliæ, tali modo, vt Eliſeus non iam ampliùs Eliſeus; ſed alter quidam appareret Elias, *& Elias erat ſurſum, & Elias deorſum*; quantò magis ſanctiſſima ac Diuiniſſima Caro Chriſti habebit iſtam S. Chryſoſt. 4. Reg. c. 2.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vim ac virtutem transformatiuam, vt, qui dignè ad ſa-
cram accedit communionem, in alium mutetur & con-
uertatur Chriſtum, ita, vt deinceps non duæ diſtinctæ
videantur eſſe perſonæ; ſed veluti vna & eadem appa-
reat perſona, tanquam Chriſtus replicatus: *Idem Chri-
ſtus ſit rurſum, & idem deorſum.*

# Caput II.

## *De natura & eſſentia ſanctiſſimi ac Diuiniſſi-mi Sacramenti huius.*

UEnerabile Altaris Sacramentum ex duabus parti-
bus, videlicet, ex ſpeciebus panis, & ex Corpore
Chriſti compoſitum eſt, *ex viſibili Sacramento, & ex re
Sacramenti.* Quemadmodum Chriſtus D.N. (& eſt
exemplum D. Auguſtini) in mundo comparuit *cum Hu-
manitate viſibili & Diuinitate inuiſibili.* Et quia Cor-
*pus venit, ſecundùm quod eſt,* puta, vnitum Diuinitati:
ideò tres partes principales conſiderari poſſunt in hoc
Sacramento: primò, ſpecies Sacramentales: Secundò,
Corpus Chriſti, quo etiam comprehenditur Sanguis &
Anima: tertiò Diuinitas Chriſti: ſiquidem iuxta S. Ber-
nardum Verbum Diuinum tribus modis in conſidera-
tionem noſtram cadere poteſt: *vt eſt in ſe, Vt eſt in Car-
ne, & vt eſt in Sacramento.* Juxta ſingularum harum
partium proprietatem propriè habet rationem cibi; ſed
reſpectu diuerſorum: *vt eſt in ſe*, Angelorum cibus eſt:
*vt eſt in Carne*, hominum comprehenſorum exiſtito-
bus: *& vt eſt in Sacramento,* cibus eſt hominum viato-
rum. Idque valdè conforme eſt ſuauitati Diuinæ Pro-
uidentiæ, nimirùm, vt Angelus, purus ſpiritus, ſuam,
tanquàm proprio cibo, viſione beatifica ſolius Diuini-
tatis, quamuis etiam ex alia parte non deſit ei gaudium,
ex beata Humanitatis Chriſti contemplatione reſultans
1. Pet. 1. (*in quem deſiderant Angeli proſpicere*) & homo, vt pote,
ex anima & corpore compoſitus habeat pro cibo Chri-
ſtum ex Diuinitate & Humanitate compoſitum. Et
quem-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quemadmodum homo duplicem aſſequitur ſtatum,
comprehenſoris vnum in futura vita, viatoris alterum
in præſenti; ita duobus modis Chriſtus inſtar cibi ſe
communicat: & manifeſtum atque detectum in propria
forma, modo ſtatui comprehenſoris conuenienti: & ve-
latum tectumque ſub ſpeciebus panis & vini, modo ſta-
tui Viatoris proportionato. Idem ergò Sacramentum
ſecundum diuerſas partes ſimul Angelorum, Beatorum,
Hominumque viatorum cibus eſt

Et ſi conſiderationis noſtræ vela altiùs extollere, am-
pliùsque expandere velimus in Diuiniſſimum hoc Sa-
cramentum, ipſam Diuinitatem non Angelorum dunta-
xat, ſed etiam ipſius Dei cibum eſſe reperiemus. Si-
quidem in ſeipſo, tanquàm in proprio cibo, reperit De-
us voluptatem ſuam & gaudium: quâ de cauſa ab ora-
culo Diuino appellatur *Panis Dei*, cibus oris Dei: & qui- *Ioan. 6.*
dem reſpectu Dei eſt cibus per eſſentiam: reſpectu
Angelorum eſt cibus per participationem. Unde la-
tiſſimus hîc aperitur nobis campus ad laudandam de-
prædicandamque magnificentiam & liberalitatem Dei,
quod ad propriam nos dignetur inuitare menſam, pro-
prium ſuum nobis dando cibum. Quapropter parùm
eſt dicere: *Panem Angelorum manducauit homo*, cùm ſi- *Pſal. 77.*
mul verum ſit, *Panem Dei manducat homo.* Ceſſet ad-
miratio, quod *aliundè viuunt homines & viuunt Ange- Hugo.*
*li; ſed idem vtriusque cibus*: cùm alia infinitiès maior *Pſal. 30.*
adſit admiratio, quod *non aliundè viuit homo, & viuit*
*Deus, & vnus eſt vtriusq; cibus.* Ergò in teipſam, O
anima mea, reuertere, & conſidera, quâ ratione pro tan-
ti doni ſuſceptione ſis depoſita, correſpondeasque infi-
nitæ huic beneuolentiæ ac liberalitati. Ecce, quanti
Deus hunc cibum æſtimet, quantoque in eundem fera-
tur amore & gaudio: tali ac tanto, nimirùm, vt quem-
cunque alium nec æſtimet, ametque, nec alio fruatur &
gaudeat. Hoc ſolo exſatiatur & contentus eſt: alium
non curat, propter alium non mouetur: & amando extra
ſeipſum alium cibum, amat quoque ſeipſum, quia non-
niſi propter ſeipſum amat illum.

Conſidera igitur, quali modo hoc cibo fruatur Deus,
in duratione æternitatis, ante omnia tempora, in ſtatu

ſolitudines, quando Deus ſolus erat ſine vlla creatura, ſolus cum Patre, Filo & Spiritu Sancto, cum infinito lumine cognitonis, cum infinito incendio amoris cum infinito gaudio fruitionis. Similis huic deberet eſſe diſpoſitio tua, cùm accedis ſanctiſſimum Sacramentum quaſi ſuperior tempore, ingreſſus Nunc æternitatis, collocatus in ſtatu ſolitudinis, & effectu ſemotus ab omnibus creaturis; nulli daturus locum in corde tuo, niſi ſoli Deo, vt de te hoc cibo Diuino plane ſatiato

*Iſa.c.45.* verificetur illud Iſaiæ dictum: *Tantùm in te eſt Deus, & nullus alius*; Deus ſolus in intellectu, De⁹ ſolus in voluntate, Deus ſolus in ſermonibus & colloquiis, Deus ſolus in operibus: ac Denique nihil proſus in te ſit, quod

*S. Bern. de conſid. lib. 5* ſapiat mundum, aut habeat rationem humani, totum ſit Diuinum, *nullâ interueniente creaturâ, ſolo bono Deo.* Verùm interrogabit quiſpiam; quodnam ſit diſcrimen inter Deum, Beatos, & nos in ordine ad

*Carthuſ. de SS. Sacram, art. 5* gaudium & fruitionem huius Diuini cibi? Respondeo breuiter cum Carthuſiano: conuenimus *in cibo & comeſtione*; differimus verò *in modo comedendi*: conuenimus in cibo & comeſtione, quia *prima veritas & ſumma bonitas* ſunt cibi conuenientes & communes Deo, Beatis & nobis. Prima veritas eſt cibus ſatians intellectum, ſumma bonitas ſatiat voluntatem. *Et cognitio & fruitio primæ cauſæ, vt eſt prima veritas, & ſumma bonitas, comeſtiones etiam ſunt conuenientes omnibus*: at differimus *in modo manducandi in Sacramento, vel extra Sacramentum: per comprehenſionem, vel ſine comprehenſione*, veluti dictum eſt ſupra.

# Caput III.

## De proprietatibus ſanctiſſimi Sacramenti.

### Proprietas I.

### Cibus animæ.

QUæ nutrit *ad vitam æternam*, quemadmodum petit & orat S. M. Eccleſia: *Cœleſtibus, Domine paſti delicijs, ad vitam, quæſumus, nutriamur æternam.* Et nutrit abſque imperfectione cibi materialis: recipitur namque in corpore noſtro, *non vt contentum, ſed vt continens*, veluti anima ſpiritualis in materia: ac propterea *vt dirigens, gubernans & regens*: ad eũ modum, quo Diuinitas gubernabat & regebat Humanitatem Chriſti. Et conueniens erat, vt *Chriſtus, qui nos creauit, etiam lactaret*: quia *Mater, quæ parit, & non lactat, non integra, ſed dimidiata Mater eſt.*

*In Miſſa*

*S. Tho. in 4 diſt. 9. q. 1. art. 1.*

*Clem. Alex. Pædag. c. 6.*

### Proprietas II.

### Cibus verus.

C*Aro mea verè eſt cibus.* Quod intelligitur, *non quantùm ad naturam*; ſed *quantùm ad effectum & virtutem*, in qua ſuperat quemcunque alium cibum materialem: etenim hic ſolùm nutrit vitam corporalem & temporalem; at cibus Sanctiſſimi Sacramenti nutrit etiam vitam ſpiritualem animæ, ac tribuit vitam quandam Diuinam & æternam.

*Ioan. 6.*

## *Proprietas III.*

## Cibus ſpiritualis.

Joan. 6.

S.T. in 4. diſt. 9. q. 1. a. 1.

SPiritus eſt, qui viuificat. Nam Caro Chriſti cibus eſt, non tanquàm ſola caro, ſed veluti caro vnita ſpiritui Diuinitatis Chriſti: quapropter eſt cibus, qui *ordinatur ad refectionem mentis*, vbi *per gratiā recipitur Diuinitas* Et hic eſt principalis ac vltimus ſanctiſſimi Sacramenti effectus: ſanctificare & quaſi Deificare animam Diuinitate.

S.T. loc. cit

Proponit S. Thomas dubium aliquod huic propoſito valdè accommodum, & eſt: *Refectio mentis in patria eſt per viſionem*: ergò Corpus Chriſti *debet dari videndum & non manducandum*, vt ſic figura correſpondeat ſuo figurato. Reſpondet, viſionem beatam non tantum eſſe intentionalem; ſed etiam realem, *quia res viſa realiter vnitur*, & hæc vnio realis ſignificatur repræſentaturq; per vnionem Sacramentalem.

## *Proprietas IV.*

## Cibus neceſſarius.

PRimò, quia ſicut cibus corporalis eſt neceſſarius ad vitam corporalem, nec vllus vitam deſiderare poteſt, abſque eo quod conueniens deſideret nutrimentum; ita nec ſpiritualis vita gratiæ obtineri poteſt abſque eo quod deſideretur cibus ſpiritualis ſanctiſſimi Sacramenti. *Et ſicut anima vita eſt corporis, ſed non viuificat ſine cibo corporali; ita Deus vita eſt animæ, ſed non Deificat ſine cibo ſpirituali*, ait Auguſtinus.

S. Aug. apud D. Tho. opuſc. 58. c. 6.

S. Tho. 3. p. q. 13. art. 3. Dion. de cœleſt. Hiera. c. 4.

Secundò, quia reliqua omnia Sacramenta ordinantur ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tanquàm media ad finē, & *omnium Sacramentorum perfectiuum*; ergò in omnibus Sacramentis implicitè includitur votum

votum, ſcilicet, deſiderium & ordo ad Euchariſtiam, ac proindè infantes, quemadmodum in voto Eccleſiæ recipiunt Baptiſmum; ita etiam in voto eiusdem Eccleſiæ recipiunt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: velut expreſſè quoque vult S. Auguſtinus. *Lib 4. de Pelag c. 22.*

Tertiò, *Quod eſt per participationem tale, per ſe ordinatur ad id, quod eſt per eſſentiam tale*; Sanctiſſimum Sacramentum continet Chriſtum per eſſentiam, cætera Sacramenta per participationem, cùm contineant gratiam Chriſti. *S Tho. q. 16. art. 3.* Ergò cùm ſuſcipitur Baptiſmus, ſuſcipitur quoque voluntas & deſiderium Sacramenti: & hoc votum ſeu deſiderium iuxta S. Thomam non eſt *per accidens ad ſupplendam rem*; ſed *per ſe:* quia concurrit tanquàm finis: ergò debet *per ſe appeti, & cætera propter ipſum.* Igitur ſecundùm S. Auguſtinum & S. Thomam ſanctiſſimum Sacramentum neceſſarium eſt, non tantùm *neceſſitate præcepti*, ſed etiam *neceſſitate medii, in re, vel in voto*, modo iam explicato: & quia neceſſarium eſt in voto, nonnunquam etiam neceſſarium eſt in re pro temporis opportunitate. Quod hucuſque dictum eſt de ſpirituali hoc cibo ſanctiſſimi Sacramenti, non inuenitur in aliis cibis materialibus ſeu corporalibus, qui conuertuntur, at non conuertunt, *non nutriunt, niſi in re*: aſt cibus Euchariſtiæ, quia conuertit, & non conuertitur, concurritque tanquàm finis; nutrit ſolo voto aut deſiderio: ſolo namque deſiderio poſſumus nos vnire Chriſto, & in eundem poſſumus conuerti, facti concorporei & conſanguinei Chriſti. *S. Thom. vbi ſup.*

Neque dici poteſt, orationem, cæterosque virtutum actus eſſe quoque cibos animæ: quia non ſunt cibi ex inſtitutione Chriſti, veluti ſanctiſſimum Sacramentum, ſuntque cibi ſolùm per participationem, qui non cauſant niſi cum ordine & dependentia à cibo per eſſentiam, qui eſt ſanctiſſimum Sacramentum, modo ſupra declarato.

g 5 Pro-

## *Proprietas V.*

# Panis Vitæ.

*Ioan. 6.* E*Go ſum Panis viuus.* Quod intelligitur duobus modis: primò, intranſitiuè, veluti loquuntur Theologi, uidelicet. *Ego ſum panis vita, ego ſum via, veritas & vita:* Secundò tranſitiuè, quia eſt cauſa veræ vitæ gratiæ & gloriæ. Ad eundem modum intelligitur illud, quod ait Chriſtus: *Ego ſum panis viuus, id eſt, ſubſtantialiter & cauſaliter.* Et huius exemplum ſubdit S. Cyrillus:

*S. Cyrill. Luc. 22. in Cat. D. T.* quemadmodum fruſtulum panis alicui liquori intinctum, totum imbibit naturam & qualitatem talis liquoris; *Sic Verbum Dei vniens ſe propriæ carni, facit illam viuificatricem.*

## *Proprietas VI.*

# Cibus permanens.

*Ioan. 6.* O*Peramini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Quod pariter intelligi poteſt de cibo hoc Euchariſtico, in quantum eſt Sacramentum, & ſecundùm effectum principalem communicationis Diuinitatis: nam conſumptis ſpeciebus Sacramentalibus recedit Humanitas, at remanet Diuinitas in anima, cui communicatur. Vndè poſt ſacram communionem magna deuotione & reuerentia te ſemper conſeruare neceſſe eſt: non enim elabitur ſanctiſſimum Sacramentum; ſed permanet quantum ad vltimatum effectum, vt dictum eſt. Et ſi *non continuè* mediante communione

*Iren. lib. 4, cap. 74.* poſſidemus Corpus Chriſti; tamen *continuè poſſidemus Verbum* Dei, vt inquit Irenæus.

Pro-

## *Proprietas VII.*

## Memoriale Paſſionis.

Quia tametſi *in re* in ſanctiſſimo Sacramento ſit
Chriſtus glorioſus, ſicut eſt glorioſus in cælo; nihi- S. Tho. q. 73
minus *in memoria* continet *ipſum Chriſtum paſſum* Et art. 5.
ut fuit principalis cauſa inſtitutionis ſanctiſſimi Sa-
cramenti: etenim abſque fide Paſſionis nunquam pote-
ruiſſe ſalus. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fi-* Rom. 3.
*dem in Sanguine ipſius.* Quolibet igitur tempore con-
ſeruanda erat hæc memoria, & tempore legis antiquæ
in Agno Paſchali, & tempore nouæ legis in ſanctiſſimo
Sacramento.

## *Proprietas VIII.*

## Panis B. Virginis.

IN Prouerbiis ait ſanctiſſima Virgo: *Venite, comedite* Prou. 9.
*panem meum.* Suus eſt ſub triplici titulo.

Primò, quia eſt effectus ſuorum viſcerum, ſuæ carnis,
& ſanguinis ſui. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipſam* S. Aug.
*carnem nobis manducandum dedit.* Pſal. 98.

Secundò, quia, vt aſſerunt SS. Doctores, finis Princi-
palis, quem habuit Chriſtus in inſtitutione ſanctiſſimi
Sacramenti, fuit, vt poſſet ſe communicare Matri, ac
ipſum intrare ſacra Virginis viſcera: & magis
propter ſolam Virginem, quàm propter alios omnes
venerabile inſtituit Sacramentum. Totus nam-
que theſaurus Virginis, quamdiu vixit in terris, erat
ſanctiſſimum Sacramentum, vtque ſacrâ ſe reficeret
ſynaxi, ſæpè Sacramentali, ſemper ſpirituali. Et, vt
affirmat Gerſon, ipſa prima omnium extitit, quæ, ſu-
pto ſanctiſſimo Sacrmento in cœnaculo inſtituto, Gerſon tr.
ſpiritualiter domi ſuæ ſe communicauit. Quam- 9. ſup. Ma-
uis alii aſſerant, quod eo tempore Chriſto adfue- gnif.
rit in cænaculo, & in loco ſeparato ſimul cum

*Barrad. Tom. 4. lib. 1. c. 17.*

aliis mulieribus ſacram ſuſceperit communionem per manus S. Petri Apoſtoli. In tribus actionibus Virgo collocârat totum ſuum bonum, ibidemque cumſum reperiebat conſolationem: in exercitio Diuinæ contemplationis, in conuerſatione cum Chriſto habitâ, & in frequentanda ſanctiſſimi Sacramenti communione.

# Caput IV.

## *De effectibus Venerabilis Sacramenti.*

*S. T. in 4. Diſt. 12. q. 3. art. 1.*

TRes, iuxta S. Thomam, dantur cibi corporalis effectus. Primus & principalis eſt conuerſio: [illegible] actiua, ſi ſuperat virtutem perſonæ, quæ cibatur; aut paſſiua, ſi ſuperatur. Ex huiuſmodi effectu pullulant [illegible] alii, & ſunt: reparatio & augmentatio; ſiquidem [illegible] te caloris naturalis exercitioque operationum corporalium reſtaurat totum id, quod de humido radicali conſumptum eſt, nec non viuens ipſum creſcere facit ad debitam vſque magnitudinem ſuam, quantitatemque naturalem. Eoſdem prorſus effectus [illegible] ſat ſanctiſſimum Sacramentum in ſpirituali vita [illegible] Primus eſt, vt conuertat, & non conuertatur in manducantem, infinitæ quippè virtutis & valoris eſt; vt [illegible] cundùm dictum D. Auguſtini, *non mutatur, sed mutat.* Primum hunc effectum principalem ſequuntur [illegible] nimirùm, quod reparet, reſarciatque totum id quod [illegible] feruore charitatis aſſumptum eſt per fomitem concupiſcentiæ externasque occupationes; & adaugeat [illegible] ueatque vitam gratiæ augmento nouæ gratiæ ad [illegible] perfectionem & quantitatem gratiæ ſine termino.

Ut primus, à quo cæteri dependent, declaretur effectus, conſiderandum eſt, quod media Sacramentali [illegible] nione ſacratiſſimum Chriſti Corpus verè & realiter [illegible] gatur corpori noſtro per ſpecies Sacramentales; & hic contactus phyſicus & corporalis, quia efficax eſt [illegible] perationes, eſt cauſa & principium omnis noſtri [illegible]

etiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enim in anima, niſi peccati ponatur obſtaculum, gratiæ ...tutúmque producit augmentum, eidemque ipſam ...iſticommunicat Diuinitatem, vti ipſemet Chriſtus Ioan. 17. ...nnuit hiſce verbis: *Pater ſancte, charitatem (id eſt, Di-* Cyrill. lib. *...nitatem) quam dediſti mihi, dedi eis.* Et ſubiungit 11. c. 26. ...odum: *Ego in eis, & tu in me*; ego enim in eis, medi- Hilarius ...te Corpore meo eis in cibum dato, & tu in me per *Di-* lib 8. de ...nitatem tuam. Trinit.

Præterea Diuinus hic contactus mirabiles & ſtupen-...in anima operatur effectus.

Primò, quia eſt contactus corporis noſtri conſecrati-...medijs Sacrmentalibus ſpeciebus, eo modo, quo py-...aliqua ex contactu ſacræ hoſtiæ conſecrata, remanet, ...ſecrata, & ad viſum ſacrum deputata, nec non ab o-...alio vſu prophano ſequeſtrata. Nunc, ſi Balthaſar Dan. 5. ...n exigua fuit mulctatus pœnâ, eò quod prophanauerat ...hera Templi vaſa: maiorem is promerebitur & con-...quenter pœnam, qui corpus ſuum ex contactu Chriſti ...ſecratum, ac vſui ſacro deputatum peccatis propha-...bit.

Secundò, eſt contactus mediante gratiâ ſanctificati-...a animæ.

Tertiò, eſt contactus Deificatiuus, quo communica-...Diuinitas.

Quartò, eſt contactus ordinatiuus; ordinat enim nos, ...ſubordinat Verbo Diuino *per modum mouentis & mo-* S. Thom. ...: etenim Verbum Diuinum, tanquàm primum mo-...ns & Diuina forma, non informans; ſed aſſiſtens per ...rpus ſuum & ſpecies Sacramentales, veluti per bina ...ſtrumenta ſua, vnum ſubſtantialiter vnitum, alterum ...ratum, ſeu accidentaliter ſolùm vnitum, *effectiuè* vi-...ficat animas, quas mouet & dirigit ad actus ſuperna-...rales, gubernando ac protegendo eas, veluti rem ſuam ...opriam: ad eum modum, quo Perſona Diuina moue-...t regebatque naturam humanam in Chriſto tanquàm ...m & naturam ſuam propriam.

Quintò, eſt contactus vnitiuus & conuerſiuus, cùm S. Aug. ſer. 5 ...s transformet, & eandem quaſi rem cum Chriſto effi-... 9. de di- ...t, vti aſſerunt & probant ſacri Doctores. Et quidem uerſ. ...Auguſtinus ait: *virtus Euchariſtiæ eſt vnitas*, q. d. vis

& vir-

& virtus ſanctiſſimi Sacramenti non eſt, vt duas res combinet & vniat; ſed vt ex duabus rebus vnam efficiat: *quia effecti membra Chriſti ſumus, quem accipimus.* Et nota illud (ſumus) quod non vnionem, ſed vnitatem ſignificat. Ad idem alludit Tertullianus dicens, quod vis ſanctiſſimi Sacrmenti *eſt indiuiduitas*, nempe, vt è duobus corporibus indiuiduis conficiat vnum indiuiduum. Idem confirmat S. Leo: *Finis huius Sacramenti, vt in Carnem Chriſti tranſeamus.* S. Paſchaſius, *vt in Chriſtum transformemur.* S. Gregorius Nazianzenus: *Vt Chriſtus ſimus, quoniam Chriſtus quoque factus nos: efficiamur Dii propter ipſum, quoniam ipſe quoque propter nos homo factus eſt.* Deniq. S. Chryſoſtomus vult, in communione corpus noſtrum & Corpus Chriſti vnam & eandem quaſi vniri maſſam; *neq; in fide ſolum, ſed re vera nos Corpus ſuum efficit.* Unde concludit Cyrillus Hieroſolymitanus, quod per ſanctiſſimum Sacramentum non tantùm Chriſtiferi; ſed concorporei & conſanguinei Chriſti facti ſimus, &, vt ſubdit S. Thomas, Deiformes. Nec deſunt ſimilitudines & analogiæ, quibus Doctores ſacri hanc declarant vnionem. S. Cyrillus vnionem hanc transformatiuam ſanctiſſimi Sacramenti comparat vnioni continuationis: *Sicut ex duabus aquis, vel duabus ceris liquefactis fit vna.* Euſebius vnioni mixtionis: *Sicut aqua vino permiſta.* Irenæus vnioni conuerſionis, quæ eſt inter cibum & perſonam cibatam. A D. Chryſoſtomo aſſimilatur vnio illa vnioni compoſitionis, qualis reperitur inter caput & membra. A S. Dionyſio Areopagita comparatur vnioni inſitionis, cùm vocat eam *ſpiritualem inſitionem.* Ab Innocentio comparatur vnioni matrimoniali, per quam *erant duo in carne vna.* Denique Hilarius hanc vnionem explicat & declarat per vnionem ſanctiſſimæ Triadis, quæ eſt inter tres Perſonas Diuinas: *inter quas eſt vnitas, non ſolùm ſecundùm voluntatem; ſed etiam ſecundùm naturam.* Verùm omnium optima eſt analogia illa, quam iidem Sancti Doctores apportant de ferro ignito. Ignis primò diſponit ferrum per calorem, deinde informat illud per propriam ſubſtantiam, ac denique totum transformat in ſeipſum, communicando ei propriam

virtu-

*Tertull. lib de orat. c. 6*
*S. Leo epiſt. 25.*
*S. Paſch. lib de Corp. & Sang. Chriſti.*
*Nazianz. orat. 1. in Nat.*
*S. Chryſoſt. Hom. 40. ad pop. & 83. in Matt.*
*Cyrill. Hieroſ. Cat. 4.*
*S. Th. opuſ. 58. c. 5.*
*S. Cyrill. lib. 10 in Ioan. c 17.*
*Euſeb. hom 1. de Paſch*
*Iren. lib. 4. c. 34.*
*S. Chryſoſt. hom. 26. in Ioan.*
*S. Dion. Areop. de Eccl. Hier. c. 3.*
*Innocent. 3.*
*S. Hilar. lib 8. de Trin.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

virtutem & operationem. Eodem modò Corpus Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento, primò mediante contactu ſuo diſponit animam producendo gratiam: ſecundò communicat propriam Diuinitatem: demum totam transformat in ſeipſum conferendo ei propriam virtutem Diuinarum operationum. Undè ſicut ferrum remanens ferrum, retinensque naturam ferri, totum comparet ignis, totum in ſeipſo penetratum à natura ignis; ita creatura propriam in ſe retinens naturam, ac Diuinale per gratiam & *per intimum illapſum*, veluti loquuntur Theologi, recipens Naturam Diuinam, non comparet amplius veluti creatura; ſed tanquam Deus aliquis demonſtrando & exhibendo greſſus & mores Diuinos.

Totum id, quod hucuſque diximus de Diuina hac transformatione multùm illuſtrat cœleſtis apparitio facta Ruperto Abbati, veluti de ſeipſo refert, dicens, quod poſt ſuſceptum Sacerdotium ſibi diebus aliquot in lecto conſtituto apparuerit perſona quædam veneranda facie cooperta, ac ſi deſideraret manere incognita, & propius accedens Rupertum, totam ſe ei impreſſit, *& intimè, & profundiùs, quàm molliſſima ceræ ſigillum*, imprimendo caput capiti, manus manibus, & ſic de aliis corporis membris, penetrando etiam eodem modo totam animæ ſuæ ſubſtantiam. Hanc ob vnionem tanto Diuini gaudii torrente perfuſus fuit, vt, *niſi voluptatis illius inundatio citò ſe continuiſſet, animam de corpore extraxiſſet, & ſecum detuliſſet.* Hoc eſt, quod de ſe recenſet S. Abbas. Quod verò viſibili modo ei euenit, modo inuiſibili nobis accidit, quotieſcunque diuinâ ſacrâ reficimur ſynaxi. Totus namque Chriſtus taliter ſeſe nobis vnit & imprimit, vt per amoroſam transformationem videatur nos trahere & conuertere in ſeipſum. Hoc totum eſt, quod Sacri adferunt Doctores pro declaranda vnionis Sacramentalis inter corpus noſtrum & Corpus Chriſti intercedentis efficacia. Verùm vt illuſtriorem reddamus eorum mentem & ſententiam, & ne per verba verus altaretur ſenſus, aduertendum, ſacros hos Doctores iſto loquendi modo non velle, niſi tres veritates certiſſimas tradere & docere velle.

*Ruper. Abbas lib 12. in Matth.*

Pri-

Prima, Chriſtum D. N. in Sacramento Euchariſtiæ non ſe venire nobis duntaxat *ſecundùm virtutem, id eſt, ſecundùm Gratiam*, quemadmodùm contingit in aliis Sacramentis; ſed etiam verè ac realiter *ſecundùm ſubſtantiam* ſui ſanctiſſimi Corporis.

Secunda, Diuinam hanc ſubſtantiam Carnis Chriſti non eſſe diſtantem à nobis eam ſumentibus; verùm etiam præſentem *per phyſicum & immediatum contactum* inter corpus noſtrum & Corpus Chriſti.

Tertia: hunc contactum phyſicum non eſſe cauſam transformationis & conuerſionis realis, vnitatiſque phyſicæ corpus noſtrum inter & Corpus Chriſti; quia non veniunt ſimul in compoſitionem, neque vnius naturæ, neque vnius ſuppoſiti: ſed eſt fundamentum duntaxat transformationis, conuerſionis, vnitatiſque moralis inter Chriſtum & nos. Quoniam ex mutua cõmunicatione in ratione cibi & cibati, & ex mutuo amore media Charitate & Gratia, moraliter conſentur eſſe vna & eadem res, nimirùm, corpus noſtrum, anima noſtra ac ſpiritus noſter moraliter cẽſetur eſſe Corpꝰ Chriſti, Anima Chriſti & Spiritus ac Diuinitas Chriſti. Quãdo igitur SS. Patres dicunt, quod per communionem factam in Gratia *transformamur in Chriſtum, conuertimur in Chriſtum, ſumus Chriſtus*, loquuntur in ſenſu morali, nobis ſimul ob oculos ponentes obligationem, quâ obſtricti ſumus, vt poſt ſacram communionem ſanctâ ac Diuinâ quadam conuerſatione ambulemus; quia voluntas noſtra ſe habet, ac ſi eſſet voluntas Chriſti, lingua & manus noſtra cenſetur eſſe lingua & manus Chriſti, & idem dici poteſt de cæteris animæ potentiis, ſenſibus & membris corporis.

Magna & eximia fuit gratia, quem Chriſtus D. N. exhibuit S. Catherinæ Senenſi, quando propriis manibus è viſceribus cor euulſit, & in locum cordis euulſi ſubſtituit proprium, adeò, vt ab illo tempore commendans ſe Chriſto Domino, non dixerit ei deinceps: Tibi, Domine, commendo cor meum; ſed commendo tibi cor tuum. Simili quodam modò agit nobiſcum Chriſtus in ſacra communione, in qua non cor duntaxat, ſed & corpus & animam noſtram cum reliquis ſenſibus & potentiis

ntiis ſuis permutat: ac dicere poſſumus, cor noſtrum veluti cor Chriſti, corpus tanquàm Corpus Chriſti, totum; quod ſumus in eſſe & operari eſt veluti eſſe & perari Chriſti. Tanta eſt vis & potentia huius cæleſtis Panis, tanta eſt virtus Diuini huius Cibi, Carnis viſificatricis Chriſti; quæ viliſſimum noſtræ naturæ umbum conuertit in puriſſimum aurum Naturæ Chriſti modo ſuprà expoſito.

# Caput V.

## *De reliquis effectibus ſanctiſsimi Sacramenti.*

SEptem ſunt principales effectus, quos profert ſanctiſſimum Sacramentum dignè ab anima noſtra ſuceptum. Primus eſt Gratia habitualis: ſecundus, Gratia actualis; tertius, remiſſio peccatorum venialium; quartus, præſeruatio à lethalibus; quintus, vnio cum Chriſto & proximo: ſextus, ius ad eſſentialem animæ Gloriam: ſeptimus, ius ad Gloriam accidentalem corporis.

*S. Thom. 3. p. q. 79. Catech. Rom.*

Quantùm ad primum effectum ſanctiſſimi Sacramenti, is non eſt prima Gratia; ſed Gratiæ augmentum: tum quia *eſt Sacramentum viuorum, non mortuorum*; tum quia datur *per modum cibi*, & cibus non capitur à mortuis, ſed à viuis: tùm denique, quia Sacramentum hoc per ſe inſtitutum eſt ad nutritionem ſpiritualem, quæ ſupponit vitam, & per conſequens neque per ſe tollit peccatum mortale, neque illud remittit; ſed ſolum per accidens, idque in duobus caſibus: primus eſt, quandò quis ſacram ſumit ſynaxin cum ignorantia inuincibili & inculpabili, quod ſit conſtitutus in peccato mortali: ſecundus, ſi quiſpiàm ſolâ inſtructus attritione confiteretur peccata ſua Sacerdoti non habenti facultatem abſoluendi; nihilominùs eo ipſo, quò hic ſe ſacrâ reficeret communione, conſequeretur Gratiam virtute Euchariſtiæ. Neque ſolùm augmentum Gratiæ, verùm



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

etiam perſeuerantia in Gratia ſanctiſſimi Sacramenti
huius effectus eſt. Siquidem datur *per modū cibi*; quemadmodum igitur ope cibi corporalis perſeueramus in
vita corporali: ita cibi ſpiritualis ſanctiſſimi Sacramenti ſubſidio perſeueramus in vita ſpirituali Gratiæ. Et
*Ioan. 6.* hic eſt ſenſus illorum verborum Chriſti: *niſi manducaueritis Carnem Filii hominis, no habebitis vitam in vobis:*
nimirùm, vitam Gratiæ cum perſeuerantia ad mortem
vſque.

Secundus effectus eſt Gratia actualis, continens actualem dulcedinem tempore Communionis, & auxilia ſupernaturalia poſt Communionem ad eunicendas tentationes, exercendoſque virtutum actus. Primus effectus ſpiritualis dulcedinis non ſemper datur, vel vt comprobemur, vel quia ſumus indiſpoſiti; aut enim animæ
noſtræ palatum minùs benè affectum eſt, aut non ſufficienti meditatione, quâ quaſi manſicatur hic cibus,
priùs ruminatum fuit, quod ſumitur: at ſecundus
effectus auxiliorum ſupernaturalium ſiuè ſufficientium, ſiuè efficacium ſemper confertur virtute ſanctiſſimi
Sacramenti.

Ex dictis tria ſequuntur puncta. Primum, Gratiam
Sacramentalem huius Sacramenti propriam eſſe augmentum Gratiæ habitualis, in quantum continet
Gratiam actualem ad finem Sacramenti neceſſariam,
qui eſt nutrire & conſeruare Charitatem, vitam ſpiritualem animæ. Secundum, Diuinas inſpirationes,
*S. Dion. de cœleſt. Hier. c. 3.* quas de die experimur & perſentimus, eſſe effectus Diuiniſſimi Sacramenti iuxta dictum Areopagitæ: *Non
contingit aliquem perfici perfectione Hierarchica,
niſi per Diuiniſſimam Euchariſtiam.* Undè conſultè
*S. Bern. ſer. in Cœna Domini.* Bernardus: quando cœleſti aliquâ viſitatione dignus
factus es; *gratias age Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in te.* Tertium, ſicut
ut ad vitam corporalem neceſſarii ſunt ſpiritus vitales
cauſati ex cibo materiali, ita in vita ſpirituali dantur
ſpiritus vitales ſupernaturales (quales ſunt illuſtrationes & inſpirationes Diuinæ in intellectu & voluntate)
procreati ex Sanctiſſimo Sacramento. Hi non animæ
duntaxat; ſed & corpori communicantur, ſuntque



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

...ueniehtes repræſentationes in phantaſia, ac boni
...rus in appetitu ſenſitiuo.

Tertius effectus eſt remiſſio peccatorum venialium:
...nam reparando feruorem Charitatis, deſtruit pec-
...ta venialia eidem contraria: & concilians perfectam
...micitiam inter animam & Chriſtum tollit peccata ve-
...lia perfectæ amicitiæ repugnantia. Idque duobus
...odis: primò, *immediatè & per ſe*, ſuppoſitâ ſolâ at-
...tione ex parte ſuſcipientis, vel, vt alii volunt, ſup-
...ſitâ ſolâ non complacentiâ peccatorum venialium:
...cundò, *mediatè*, excitando aliquem Contritionis
... Charitatis actum *per ſe* remiſſiuum peccati venialis
...elut etiam remittit pœnam peccatorum venialium)
...tanquàm ſacrificium remittit immediatè.

Quartus effectus eſt præſeruatio à peccatis lethali-
..., conformiter ait Sanct. Bernardus: *Minuit* hoc Sa- *S. Bern. ſer.*
...mentum *ſenſum in leuioribus, & tollit conſenſum in* *in Cœna*
...*rioribus*. Quod præſtat duobus modis: primò *per* *Dom.*
...*ialia auxilia*, quibus anima fortificatur aduerſus
...tationes: ſecundò, *vt ſignum Paſſionis Chriſti*, *S.T. art. 6.*
...triſti & confuſi Dæmones in fugam conuertuntur;
...ait Sanct. Chryſoſtomus: *Tanquàm Leones ignem* *S. Chryſoſt.*
...*antes ab illa menſa recedamus, terribiles Dæmonibus* *in Ioan.*
...*ſti*.

Quintus effectus eſt vnio. Primò inter nos & Chri-
...m; & hæc non eſt ſolummodo affectiua, ſe vera,
...lis & corporalis inter corpus noſtrum & Cor-
... Chriſti, non tamen phyſica, ſed moralis, veluti
...pra explicuimus. Secundò vnio ſocialis inter nos in-
...cem in virtute huius Diuiniſſimi Sacramenti; nam
...*uniuntur in vno tertio, vniuntur & inter ſe: qui-* *S. Cypr. de*
...*vnus eſt panis, vnum eſt corpus, & omnium vnum* *Cœna*
..., *& anima vna*, iuxta dictum Apoſtoli, *Vnum cor-* *Dom.*
...*ſumus, quia de vno corpore & de vno pane man-* *1. Cor. c. 10.*
...*camus*. Ubi vult Apoſtolus, quod, ſicut in-
... nos & Chriſtum non ſolum eſt vnio ſpiritualis medi-
...e Gratiâ, verùm etiam corporalis mediis ſpeciebus
...cramentalibus; ita Chriſtiani in virtute huius Sacra-

menti inter ſe non tantùm vnione ſpirituali mediante
Gratiâ, in quantum hoc Sacramentum nutrit Gratiam
habitualem, vt excitat ad Amorem actualem & cum
Chriſto & inter nos; ſed etiam vniti ſint vnione corpo-
rali, in ſenſu tamen morali, vti ſupra dictum fuit. Et
hæc eſt perfecta illa vnio, quam Chriſtus pro nobis po-
ſtulabat à Patre ſuo, dicens *Ego in eis, & tu in me, vt*
Ioan. 17. *ſint conſummati in vnum*; ego in eis per carnem meam,
& tu in me per Diuinitatem, & ipſi inter ſe perfectè vni-
ti, non vnione duntaxat Gratiæ, quæ eſt effectus Spiri-
tus ſancti; ſed etiam vnione corporali, quæ eſt effectus
huius Diuiniſſimi Sacramenti.

Sextus effectus eſt ius ad eſſentialem animæ Gloriam,
non tantùm *mediatè*, mediante Gratiâ, *quæ eſt ſemen*
*Gloriæ*; verùm etiam *immediatè*, in quantum conſeruat
vitam Gratiæ per ſeipſam æternam, & in quantum
S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 19. c. 20. communicat participationem vitæ Gloriæ: *Qui mandu-*
*cat hunc panem, habet vitam æternam: & participem*
*fieri menſæ huius, ipſum eſt incipere habere vitam æter-*
*nam.*

Septimus & vltimus effectus eſt Gloria corporis iux-
Ioan. 6 ta promiſſionem Chriſti D N.: *Qui manducat meam*
*Carnem*, &c. *ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Primò,
propter contactum corporis noſtri cum Corpore Chri-
ſti glorioſus & immortalis erit dignè communicans.
Secundò, propter conditionem cibi, qui qualitates ſuas
perſonæ, qui cibatur, communicat, adeoque cibus ſan-
ctiſſimi Sacramenti glorioſus & immortalis talia quo-
que efficiet corpora noſtra ſacro hoc cibo refecta, & ne-
quàm cibus ſuperans in virtute perſonam, quæ cibatur,
non conuertitur in illam; ſed eam conuertit in propriam
Bellar. lib. 1. c. 7. naturam. Hic modus reſurgendi in virtute Sacramenti
eſt perfectiſſimus, quia *eſt ab intrinſeco*, cùm ſit per mo-
*dum cibi*: & ſicut ſecundùm Bellarminum, *qui cibum ſu-*
Cyrill in Ioan. lib. 4. c. 14. *mit, ſeipſum nutrit, ita ſeipſum ſuſcitat*: vbi alii modi re-
ſurgendi *per modum ſufficientis*, Diuinitatis Chriſti; *per*
*modum inſtrumenti*, Humanitatis; *per modum meriti*,
Sanguinis: *per modum exemplaris*, Reſurrectionis Chri-
ſti, qui eſt modus reſuſcitandi *ab extrinſeco* ad minus mo-
ralis, eò quod nulla ibi adſit exigentia intrinſeca, velut
eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſt in reſurrectione *per modum cibi* modo iam explicato, ſunt *ab extrinſeco*; quemadmodum granum frumenti etiam corruptum & mortuum per virtutem regenerationis, quam retinet, reſurgit; ita corpus noſtrum etiam corruptum per vitutem illam moralem, quâ cibatur Carne Chriſti immortali, reſurgit velut *ab intrinſeco* immortale. Et ſecundùm Cyrillum reſurrectio, Sacramenti huius effectus, non eſt quæuis reſurrectio; ſed *reſurrectio ad Gloriam*: & altera reſurrectio, *quæ eſt ad mortem*, non eſt effectus huius Sacramenti.

# Caput VI.

## *De diſpoſitione ad dignè recipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.*

DIſpoſitio debet eſſe homogenea & eiuſdem rationis cum forma, ad quam diſponit, ſicut eſt calor reſpectu ignis. Vt igitur recipiatur cibus quidam Diuinus, diſpoſitio ſit Diuina, neceſſe eſt. Ita ſentit S. Bonauentura, dicens: *Cùm fueris totus alteratus & Diuinus effectus* in cogitationibus, affectibus & deſideriis Diuinis, *ita vt nihil ſentias, nihil videas niſi Deum, tunc accede*, ſic enim benè diſpoſitus & paratus eris. Et optima eſt diſpoſitio Amoris (hoc enim Sacramentum eſt *Sacramentum Amoris*) ſatagendo & deſiderando recipere Chriſtum ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Deſiderium hoc primò ſolitarium & purum ſit, oportet, vt dicas: *Nihil præter te, Domine*, nil aliud, niſi te, Domine, ſub hac ſacrata ſpecie deſidero: ſecundò, vehemens & auidum, quale habet famelicus ad cibos, & ſitibundus ad aquas. *Et eſus huius Sacramenti quædam auiditas eſt.* Cuius rationem reddit D. Auguſtinus, quia ſi hoc Sacramentum eſt *omne bonum* (*aurum eſt tantùm aurum, argentum tantùm argentum; Chriſtus in Sacramento eſt mihi omnia*) iuſtum & æquum eſt, vt omnis cogitationis, affectus & deſiderii terminus, meta, & ſcopus exiſtat, ac per conſequens ſit deſiderium quoddam vehemens &

*S. Bona. de Inſtruct. Sacerdotis tom. 4.*

*S. Cyprian. de Cœna Dom.*

auidum, neceſſe eſt. Quapropter panis azymus, in
quantum ſanctiſſimi Sacramenti figura, vocabatur pa-
Pſa. 10. *nis deſiderabilis, panis deſideriorum*: panis, qui eſt vl-
timus terminus, & finis noſtrorum deſideriorum: *&*
Iſa.26. *memoriale tuum in deſiderio animæ*: panis vitæ, quem
nobis Chriſtus reliquit in ſui memoriam, vnicum &
totale animæ deſiderium eſt. Hæc diſpoſitio deſiderii
confirmatur exemplo Chriſti de ſeipſo ita loquentis:
Luc. 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.*
Ut hoc deſiderium ſit perfectum, non eſt ſiſtendum in
Sacramento, ſed vlterius procedendum ad finem Sa-
cramenti, qui eſt fruitio Chriſti vt in cœlo conſpicuè
3.p.q.80. art.2. viſibilis. *Sumptio Sacramenti*, docet Angelicus, *ordi-
natur ad fruitionem Patriæ, tanquàm ad finem.* Ratio
S. Alg. de SS. Sacramento. c. 28 ex Tom. 6. Bibl. PP. eſt, quia Sacramentum Altaris *eſt ſimul veritas & figu-
ra*: veritas, reſpectu Sacramentorum veteris legis:
eſt figura, reſpectu viſionis beatæ futuræ in cœleſti
Patria, ad quam ordinatur tanquàm medium ad fi-
nem: eo ipſo enim, quo ſuſcipitur & guſtatur Chri-
ſtus ſub ſpecie & formâ panis, diſponitur anima ad
eundem ſuſcipiendum & guſtandum in propria forma
Gloriæ. Hoc igitur vltimatum erit deſiderium tuum,
Cant. 8. vt cum Sponſa ſuſpires & ores: *Quis mihi det, vt in-
veniam te foris, & iam me nemo deſpiciet.* Quis mihi
concedet, O dulciſſime Jeſu, vt intuitiuè te videam
extra has cortinas Sacramentales, & in propria tua
S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. c. 3. p 3. decore & pulchritudine te conſpiciam? *O Diuiniſſimum
& ſacroſanctum Sacramentum, obducta tibi ope-
menta dignanter aperi, & perſpicuè nobis fac appareas.*

Hæc de diſpoſitione, agamus nunc de medio ad
illam aſſequendam. Certum eſt, hanc diſpoſitionem,
quia Diuina eſt, recedere vires noſtras. Undè petenda,
ſperanda & exſpectanda eſt à Deo, præſertim à
Spiritu ſancto, idque ob triplicem rationem. Primò,
quia ſanctiſſimum Sacramentum eſt opus Spiritus ſan-
cti: tum quia eſt opus Amoris, & opera Charitatis & A-
moris attribuuntur Spiritui ſancto, qui eſt Amor per eſ-
S. Aug. de verb. Domini in Catena Matt. 25. ſentiam; tum etiam, quia, vt ait D. Auguſtinus, *Sicut
per Spiritum ſanctum vera Caro Chriſti creatur; ita &
per eundem ſubſtantia panis & vini in Corpus & Sangui-*
guis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

um *Chriſti conſecratur.* Et Sanct. Baſilius: *Spiritus* uuus *& ſanctus de cœleſtibus ſedibus deſcendens, ſuper* hanc *Euchariſtiam propoſitam manet & incumbat. In*cubare propriè, vti notat Sanct. Auguſtinus, idem ſonat, quod viuificare & animare: ergò Spiritui ſancto conueniet quoque præparare ſibi dignum habitaculum. Secunda ratio eſt, quia, iuxta ſententiam Diui Chryſoſtomi, Diuinum Sacramentum continet in*effabilem quandam flammam* Spiritus ſancti: vndè conſulit: *Caue, accedas cum ſtipula, lignis & fœno.* Igitur eidem Spiritui competet nos diſponere ad participationem ignis illius Diuini. Hinc aſſeruit Sanct. Epiphanius, quod Saluator noſter dando nobis Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem ſuum in potum, *ignem nobis ad manducandum & bibendum præſtitit.* Tertia ratio eſt, quia principalis pars Diuini huius Cibi non eſt Corpus & Anima Chriſti; ſed Spiritus Chriſti, qui eſt Diuinitas. *Spiritus eſt, qui viuificat.* Unde Tertullianus: *Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur; ſed anima de Deo ſaginatur.* Alius ergò quidam Spiritus, qui eſt tertia Perſona in ſanctiſſima Trinitate, dignè nos præparare debet ad recipiendum Diuinum illum Spiritum. Hæc eſt cauſa, vt opinatur Sanct. Thomas, cur poſt aduentum Spiritus ſancti primi Chriſti fideles inceperint frequentare hunc cœleſtem cibum: *Erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis.* Etenim Spiritus ſanctus promouebat opus ſuum, mouebat, diſponebatque corda fidelium ad frequentem dignamque illius ſuſceptionem. Quare è re tua eſſet, ſi ante Communionem gratiam Spiritus ſancti inuocares, dicendo: *Veni ſancte Spiritus, & tui amoris in nobis ignem accende:* vt, quemadmodùm ſuprà diximus, diſpoſitio ſit homogenea, ſeu eiuſdem rationis cum forma, ſimulque diſpoſitione apparatuque amoris correſpondeamus Sacramento Amoris.

*S. Baſil. in ſua Liturg.*

*S. Chryſoſt. ſup. Ioan.*

*De Nat. Dei ſcrutãda.*

*Ioan. 6.*

*Tertull. lib 1. de reſurr. carnis.*

*S. T. opuſ. 53*

*Actor. 2.*

Adhæc nobis recurrendum eſt ad Beatiſſimam Virginem, Spiritus ſancti Sponſam, Diuinarumque gratiarum, ac Diuini præſertim Amoris diſpenſatricem: vt quemadmodùm Spiritus S. vterum eius virginalem diſ-

poſuit, vt dignum fieret Verbi Diuini habitaculum; ita nobis impetret, quatenùs idem Diuinus Spiritus animam noſtram ad dignam ſanctiſſimi Sacramenti receptionem præparet, eleuando eam ad actus feruentiſſimos Fidei, Spei & Charitatis. *Exere* igitur, priuſquam Diuinum hunc recipias Cibum, *palatum Fidei, dilata fauces Spei, viſcera Charitatis extende.* Et quò intenſiores, feruentioreſque elicueris actus, eò maius obtinebit incrementum diſpoſitio illa, quâ ad Diuiniſſimum accedes Sacramentum.

*Fulbertus Epiſc. de Corp. Chriſti.*

Huic quoque diſpotioni ſeu apparatui multum proderit, ſi imiteris abnegationem & expropriationem ſpecierum Sacramentalium: ſiquidem ſpecies Sacramentales non continent ſimul ſubſtantiam panis & Corporis Chriſti ſubſtantiam; ſed, vt approprient ſibi ſubſtantiam Chriſti, exuunt ſe proprietate panis: vt enim inquit Alenſis: *Refectio noſtra debet eſſe pura ſpiritualis, & non ſpiritualis & carnalis ſimul.* Tali modo conſimili quoque debet eſſe oblatio, quam exhibemus Deo, purè inquirendo & reſpiciendo *Deum*, ſemoto quocunque proprio commodo. Porrò conſideremus, quàm largam cumulatamque Deus perſoluat mercedem his ſpeciebus ſeu accidentibus propriam panis ſubſtantiam abnegantibus: dat eis quoddam eſſe ſupernaturale proprii ſui Corporis, adeò, vt de accidentibus illis amplius verificari nequeat: *Hic eſt panis;* ſed dicatur: *Hoc eſt corpus meum*, nimirùm, Chriſti: inſuper communicat eis operationem quandam ſupernaturalem: etenim tam quàm Verbi inſtrumentum concurrunt ad productionem Gratiæ: denique donat eis aliquam adorationis ſpeciem, etiam ſupernaturalem, & omnium excellentiſſimam, quam Teologi vocant Latriam. Sicut enim veſtis eâdem adoratur adoratione, quâ & adoratur ipſe Rex; ita quoque ipſa accidentia, quæ ſunt veluti Chriſti veſtimenta: vndè definit Concilium Tridentinum, Sacramentum *eſſe adorandum ſub nomine Chriſti.* Quapropter cantat S. M. Eccleſia: *Tantum ergò Sacramentum veneremur cernui.* Quo accidentium, ſpecierumue exemplo meritò nos confundendi ſumus, vt etiam notat S. Thomas, dicens: *Irrationalis creatura* (ſcilicet panis)

*Alenſ. q. 19. art. 2.*

*Conc. Trid.*

*Opuſc. 58.*

*panis) per Verbum Dei conuertitur in Corpus Chriſti: & peccatoru duritia, & iuſti frigiditas, nec multis verbis & Spiritus ſancti operationibus perducitur ad conuerſionem.* Omni igitur conatu ſatagamus hęc ſacra accidentia imitari in totali noſtri abnegatione & conuerſione in Chriſtum: neque contenti ſumus, vt tanquàm panis duntaxat benedictus, qui cum benedictione externa externa propriam etiam retineat ſubſtantiam, appareamus & exiſtamus; ſed ſimus, veluti verus panis conſecratus, nè minimam quidem propriæ ſubſtantiæ, propriique amoris noſtri partem in nobis retinentes.

# Cap. VII.

## *De gratiarum actionem post Communionem.*

TOto hoc temporis ſpatio, quod pretioſiſſimum eſt ob realem Chriſti præſentiam, omni efficaciâ ac feruore pertractare debes ſalutis tuæ negotium, quod in duobus conſiſtit punctis. Primum eſt, vt de cunctis peccatis toto vitæ tuæ decurſu ad præſens inſtans vſque commiſſis remiſſionem petas & veniam, ſimulque remedium & medicinam pro curandis ſcelerum plagis præſentibus. Secundum, vt poſtules adimpletionem Gloriæ Dei in acquiſitione Gloriæ tuæ in cœleſti & æterna Beatitudine. Quantùm ad primum, dices cum leproſo illo Evangelico: *Domine, ſi vis, potes me mundare,* à lepra peccatorum meorum: & *, ſi vis, potes me ſanare* à plagis inordinatarum mearum paſſionum: idque præſtare potes in virtute Sanguinis tui, Paſſionis tuæ, tuorumque meritorum, per merita ſanctiſſimæ Matris tuæ. Ac pro cooperatione tua veros in hunc finem elicies actus doloris contritionisque. Quartum ad ſecundum, poſtulabis æternam ſalutem ad eundem modum: *Domine, ſi vis, potes me ſaluare in Sanguine tuo. Sę ſaluas, ſis benedictus: ſi non ſaluas, ſis iterum benedictus: & ſemper, & in omni ſtatu benedicam nomen tuum in æternum.* Prætereà, pro gratiarum actione, iuxta men-

tem S. Bonauenturæ, duo conſiderationes valdè utiles & neceſſariæ ſunt: prima eſt conſideratio annihilationis ſuiipſius: ſecunda eſt compaſſionis Chriſti, deuotam gerendo memoriam Paſſionis eius.

*Ex Carthuſ. lib. de de B. V.*

In prima, quinque iſta ventilabis puncta. Primum, *Quid ex te es?* Nihil. Secundum, *Quid ex te factus es?* Peccator. Tertium, *Quid eſſes*, niſi Gratia Dei te præuenisset? Peior ipſo Dæmonio. Quartum, *Quid in genere Naturæ?* Concupiſcentiâ & inclinatione ad omne malum præditus es. Quintum, *Quid in genere Gratiæ?* Parum aut nihil prorſus, comparatione ſanctitatis Sanctorum & Dei.

In ſecunda, non ſolùm piam deuotamque excitabis memoriam Paſſionis Chriſti, habendo reflectionem ad omnia & ſingula Chriſti paſſi membra, ac duos illos, quos etiam ſuggerit S. Bernardus, eliciendo actus, gratiarum actionis, videlicet, & contritionis, ſimul addicendo: gratias tibi ago, Domine, ac peto veniam & miſericordiam; verum etiam finem fructumque Paſſionis, qui eſt ipſa Reſurrectio & Aſcenſio Chriſti, ſedulò peruolues animo: Undè Alenſis in hunc ſenſum exponit verba illa Saluatoris: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*, videlicet, *in memoriam mei patientis, reſurgentis & aſcendentis*; ſeu in memoriam meæ Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis. Quæ Alenſis expoſitio confirmatur per vſum Eccleſiæ, quæ duobus locis Sacrificii miſſæ ſimul meminit triumphorum myſteriorum: primò ante conſecrationem, dicens: *Suſcipe ſancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Secundo poſt conſecrationem dicens: *Vndè & memores, Domine, nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta eiusdem Chriſti Filii tui Domini noſtri, tàm beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ Aſcenſionis.* Et per hanc conſiderationem, ait Sanct. Vincentius Ferrerius, ſimiles nos reddimus Chriſto, qui in terris adhuc viuus *habuit duplicem ſaporem: & amarum*, ratione Paſſionis ſuæ: *& dulcem*, ratione fruitionis Gloriæ. Ita nos vtrumque participabimus affectum: & compatie-

*S. Vincent. Serm. 2. de Corp. Chr.*

patiendo Christo in Paſſione ſua, & congratulando nobis in Reſurrectione & Aſcenſione ſua. Inſuper aduertendum eſt, quod etiam optimè notat S. Cyprianus, quò ad memoriam Paſſionis, non ſufficere eam eſſe ſpeculatiuam, ſed neceſſe eſt, ſit practica & imitatiua. Et ad hunc ſenſum explicat verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem, id eſt, imitationem: vt, ſcilicet, Chriſtianus ſeipſum offerat Chriſto ſicut videt Chriſtum ſeipſum ſuo Patri obtuliſſe.* Confirmat hoc idem Spiritus ſanctus verbis illis. Quando fueris inuitatus ad conuiuium Principis, in ſanctiſſimo, nimirùm, Sacramento, *ſtatue cultrum in gutture tuo.* Firmiter ſtatues mori pro Chriſto, quemadmodùm Chriſtum conſpicis pro te mortuum, dicendo ei: *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* In hoc ſenſu D. Auguſtinus intelligit verſiculum illum Pſalmi 21.: *Edent pauperes, & ſaturabuntur,* legit ipſe, *Imitabuntur ſcilicet, imitando Paſſionem Chriſti.* Et in quadam ſua epiſtola aſſerit, non omnes quotquot cœleſti hoc veſcuntur pane, ſaturari: *ſaturantur qui imitantur* Paſſionem & mortem Saluatoris noſtri. Idq; ſufficiat pro gratiarum actione in memoriam Chriſti, & mortui & reſuſcitati, & doloroſi & glorioſi: *vt ipſi quoque mente, & in Cruce, & in cœleſtibus habitemus.*

*S. Cyprian.*

*Prouerb. 23*

*S. Aug. in Pſal. 21. v. 27. 48.*

*Idem epiſt. 120.*

# Cap. VIII.

## *De Communione Spirituali.*

Ex dictis ſuperiori capite ſequitur, quale Communionis ſpiritualis debeat eſſe exercitium erga ſanctiſſimum Altaris Sacramentum. Verùm priuſquam ad hanc tam ſanctæ deuotionis deſcendamus praxin, operæ pretium erit pro maiori claritatis notitia nonnullas ſupponere veritates.

1 Tres dantur Communionis ſpecies: ſola, nimirum, Sacramentalis, ſola Spiritualis, & deniq; Sacramentalis & Spiritualis ſimul. In prima communicans *manducat, & non manducat:* quia recipiendo Sacramentū, non recipit effectum Sacramenti, nempè, Gratiam. In ſecunda communi-

*Trident. Seſſ. 13 Can. 8.*

*S. Tho. opuſc. 1. 58. c. 19. c. 20. 3. p. q. 80.*

municans *non manducat, & manducat*: eſto enim non recipiat Sacramentum, Sacramenti tamen recipit Gratiam. In tertia communicans *manducat & manducatur*: manducat, in quantum recipit Sacramentum cum Gratia; & manducatur, in quantum eadem mediante Gratia conuertitur & mutatur in Chriſtum, qui eſt in Sacramento.

*S. T. opuſ. 1. cit. & lect. 1 in 1. Cor. c. 20,*

2. Communio Spiritualis ſemper fuit neceſſaria in Eccleſia Dei; ſed vario ac diuerſo modo iuxta varios ſtatus; aut cum fide & deſiderio implicito Chriſti; aut cum fide ac deſiderio Chriſti explicito.

*Trid. ſeſſ. 19. c. 8.*

3. Certum quoque & indubitatum eſt, quod Diuinum hoc Spiritualis Communionis exercitium, quantùm in ſe eſt digniſſimum, tantùm etiam reſpectu eius qui eo vtitur, ſit vtiliſſimum. Et tametſi Communio Sacramentalis facta in Gratia ex natura ſua longè vtilior ſit, cùm conferat Gratiam *ex opere operato* (vndè docet Angelicus: *Sacramentalis manduaatio plenius inducit Sacramenti effectum*) nihilominùs, ſi Communio Spiritualis fiat maiori cum affectu Charitatis, & cum intenſiori deſiderio; Gratia, in Communione Spirituali recipienda, poterit eſſe maior.

*S. Tho. q. 89. art. 1. ad 3.*

Hiſce ſuppoſitis principiis, duo breuiter diſcutiamus puncta: primò, in quo conſiſtat Communio ſpiritualis: Secundò, declaremus modum, quo exerceri debeat. Quantùm ad primum, Communio ſpiritualis non conſiſtit in actuali Corporis Chriſti receptione ſub accidentibus panis, veluti Sacramentalis; ſed in voluntate & deſiderio recipiendi illud: *Sicut aliqui baptizantur Baptiſmo flaminis propter deſiderium baptiſmi.* Vnde Concilium Tridentinum defin.t, Communionem ſpiritualem conſiſtere *in voto Sacramenti*, videlicet, in deſiderio recipiendi Chriſtum in Sacramento: etenim ſecundùm doctrinam D. Auguſtini, quemadmodùm nos ſumus corporei; ita ſub ſpeciebus corporeis nobis proponendus eſt cibus Diuinus.

*S. Tho. 3. p. q. 81. art. 1. Trid. ſeſſ. 13 c. 8.*

Verùm, vt hoc deſiderium ſit vtile & fructuoſum, nonnullis conſtare debet conditionibus.

1. Debet eſſe deſiderium vivum perſonæ Gratia diuitis; ſicut enim Sacramentalis Communio *eſt viuorum*

ita

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ita quoque Spiritualis: & ſicuti peccaret Sacramentalem ſumens communionem peccato obnoxius; ita quoque, qui deſideraret recipere communionem peccato contaminatus: ſiquidem in lege Dei non prohibetur duntaxat malum operatum; ſed etiam malum deſideratum.

2. Debet eſſe deſiderium, quantum ex ſe eſt, efficax, adeò, vt, ſi poſſet, eique permitteretur, non ſolo deſiderio contentus eſſet verus Seruus Dei; ſed actualiter cœleſti hoc pane ſeſe cibaret: vſque priuatio illius Diuinæ menſæ deſideranti ſuperaddat dolorem, & dicat cum S. Chryſoſtomo: *Vnus mihi ſit tantùm dolor, hac menſa priuari.* *S. Chryſoſt.*

3. Debet eſſe deſiderium valdè ardens & intenſum, planè illi deſiderio ſimile, quo ambitioſus mundanam concupiſcit gloriam: quo auarus auidè fertur in aurum: quo ſitibundus ad fontem viuæ anhelat aquæ: quo famelicus inuolat in menſam cibis lautiſſimis opiparisque inſtructam. Vndè S. Cyprianus conformiter dixit, *S. Cyprian.* quod *eſus huius Sacramenti eſt quadam auiditas*; deſiderium quoddam eſt, non tepidum, non remiſſum, ſed vehemens & auidum.

4. Denique debet eſſe deſiderium continuum, quia eſt deſiderium Beatitudinis. Beatitudo Iuſtorum in cœlis eſt Chriſtus reuelatus, ſeu intuitiuè viſus: Beatitudo Chriſtianorum in terris eſt Chriſtus velatus. Quemadmodum igitur Beatus lumine dotatus Gloriæ non patitur ſeparationem à Deo; ita Seruus Dei lumine illuſtratus fidei ſemper deberet viuere vnitus ſanctiſſimo Sacramento. Et quia hoc non permittitur per Communionem Sacramentalem, ſuppletur id Communione Spirituali. Inſuper continuum hoc ſit deſiderium, neceſſe eſt ex alia parte, quia eſt deſiderium vitæ. Anima noſtra, iuxta dictum D. Auguſtini, viuit Spiritu Chriſti, *Tract. 26.* qui eſt Diuinitas, vita Dei continua & perennis: vt ergo *in Ioan.* hanc participet vitam, oportet, ſtet ſemper vnita cum Carne Chriſti viuificata Spiritu Dei. Cuius idem S. Doctor rationem reddit: quia corpus & ſpiritus habent inter ſe proportionem & ordinem, non enim omne corpus omni viuit ſpiritu, nec omnis ſpiritus viuificat

omne

omne corpus, neque corpus meum viuit ſpiritu, nec corpus tuum ſpiritu meo; ſed corpus meum viuit ſpiritu meo, & corpus tuum ſpiritu tuo. Igitur Corpus Chriſti nonniſi Spiritu Chriſti viuit, & Spiritus Chriſti nonniſi Corpus Chriſti viuificat; quod intelligendum eſt *per ſe & immediatè.* Vndè idem Sanctus concludit: ſi vis viuere Spiritu Chriſti; neceſſe eſt te vnias cum Carne Chriſti: *Si vis viuere de Spiritu Chriſti, eſto in Corpore Chriſti. Qui vult viuere, habet, vbi viuat: habet, vndè viuat: accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur q. d.* Qui deſiderat viuere, cupitque ſcire, vbi reperiat vitam, approximet ſe Chriſto, viuâ deſideret Fide per cōmunionem vniri Carni Chriſti, incorporari Chriſto: & viuet de Spiritu Chriſti, qui eſt Diuinitas. Quamobrē S. Ambroſius Corpus Chriſti appellat *Corpus ſpirituale, quia Corpus Chriſti Corpus eſt Diuini Spiritus.* Eodem ſenſu, eâdemque mentis intentione impensè rogat & poſtulat S. M. Eccleſia continuum affectum & deſiderium verſus ſanctiſſimum Sacramentum. Vndè in quadam Collecta, hanc deprecatur gratiam hiſce verbis: *Cœleſtibus, Domine, paſti deliciis, quæſimus, vt ſemper eadem, per quæ veraciter viuimus, appetamus* Et vult dicere: Magna gratia eſt, quod Dominus dignetur nos paſcere Cœli deliciis; at iſta non ſufficit, petimus vlterius, vt in cordibus viuum quendam accendat affectum & amorem, quatenùs ſemper & auidâ cupiditate feramur impellamurque in vnicum illum & ſolum cibum, qui ſolus eſt cauſa veræ vitæ. Et hæc de primo puncto, in quo nimirùm, conſiſtat Communio ſpiritualis, dixiſſe ſufficiant: veniamus ad ſecundum, de modo exercendi illam.

S. Aug. loc. cit.

S. Ambr. lib. de Sacr. c. 9.

Dominica 6. poſt Epip.

Pro illius praxi & exercitio admodùm hîc mihi placent verba illa, quibus vti ſolebat S. Martyr Ignatius: *Non voluptates huius Mundi deſidero; ſed Panem Dei, Panem cœleſtem, Panem vitæ, qui eſt Caro Ieſu Chriſti, Filii Dei viui: & potum volo Sanguinem eius, qui eſt dilectio incorruptibilis, & vita æterna.* Horum ac ſimilium affectuum exercitio reducitur ad praxin ſpiritualis Communio, ac multiplicatis de die centiès & milliès hiſce actibus, totiès etiam ingentem

S. Ignat. Mart Epiſt 12. Ad Rom.

cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum animæ fructu ſpirituales multiplicabuntur Communiones. O Cibum Diuinum! O Cibum vitæ æternæ! quàm magna & admirabilis eſt virtutis tuæ efficacia? Cæteri cibi corporales nonniſi ſtomacho ingeſti & comeſti proſunt; at tu vitam tribuis ſolo deſiderio. Neque id mirum, alii namque cibi conuertuntur in comedentem: Tu manducatem te conuertis in teipſum. Conuerſio hæc ſolo tui deſiderio & affectu fieri poteſt: etenim amor *eſt vis conuerſiua* amantis in rem amatam. Prodeant nun Amatores Mundi terrenorum audi ciborum, deſiderent purè totum Mundi honorem; *ego Carnem Chriſti deſidero.* Sitiant, appetantque cunctas, quæ vnquàm in creaturis ſunt & fuêre, delicias, *ego Carnum Chriſti deſidero.* Abeant poſt aurum, gemmasque terræ pretioſas in perditionem: & ego non aliud, quàm quod dicebat Magnus Matyr Ignatius, dicam: *Carnem Chriſti deſidero.* Illam Carnem viuentem deſidero, quæ me viuificat, & ad veram vitam reſuſcitat; Carnem illam Deificam totis medullis appeto, quæ mihi communicat proprium ſuum Diuinitatis Spiritum: illam concupiſco Carnem, in quâ exiſtit plenitudo Gratiæ, torrens conſolationum, cuncti theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Igitur, anima mea, & corde, & ore, & omnibus corporis & animæ potentiis, & ex intimis præcordiis, ac tota in cor, tota in affectum, tota etiam in deſiderium conuerſa, dices: *Cibus meus Chriſtus eſt, & ego eius.* Hoc ipſum eſt, quod dicebat Sponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: quia eſt cibus, nutriens & cibans actibus internis amoris, actibus deſiderii. Beata anima illa, quæ verè dicere poteſt: *Memoriale tuum, Domine, in deſiderio animæ.* Totum deſiderium meum eſt in deſiderio cœleſtis Panis, memoria viua Chriſti, memoriale & compendium eſt miraculorum Omnipotentis Dei. Caput hoc concludo Sanctiſſimæ Matris Dei exemplo, cui valdè familiare ac continuum erat exercitium hoc ſpiritualis Communionis; imò, vt notat Gerſon, ipſa prima omnium extitit, quæ dedit initium ſanctæ Communioni ſpirituali: etenim ſubitò poſt inſtitutionem Sanctiſſimi Sacramenti,

*S. Th. 3. p. q. 73. art. 3.*

*S. Dionyſ.*

*Bernard in Cant. ſerm. 71.*

*Cant. 2.*

*Iſa. 26.*

*Gerſon.*

inge-

incepit, totoque deinceps vitæ ſuæ decurſu, ſummo aﬀe-
ctu & deſiderio illud appetere, ardenterque exoptare &
deſiderare continuauit. Neque in hoc Sanctiſſimam
Virginem ſuperarunt Sancti Patres antiquæ legis: nam,

*S. T. 3. p q. 81. art. 1.*

vt docet S. Thomas, Communio ſpiritualis, quæ nil
aliud eſt, quàm recipiendi Sacramenti deſiderium, ſup-
ponit inſtitutionem & conſecrationem Sacramenti, quæ
adhuc nondum extitit in veteri lege tàm naturali, quàm
ſcripta; ſed ſolùm in lege Gratiæ. Quapropter pro-
priè deſiderabant ſanctiſſimum Sacramentum in figura
duntaxat, in quantùm accipiebant Manna ſanctiſſimi
Sacramenti figuram.

## Cap. IX.

### *De quodam alio, ac perfectiori modo ſpiritua-lis Communionis.*

*S. Aug. To. 2. de Symb. lib. 4. c. 2. Ioan. 4.*

COmmunio ſpiritualis, veluti ſupra diximus, illa eſt,
quæ fit *in ſpiritu & veritate*, veris ac ſpiritualibus
internis actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Deſiderii: Et hi
*ſunt veri adoratores, qui adorant*, & manducant Chri-
ſtum *in ſpiritu & veritate*: qui, quod frequenter cum
effectu recipiant Chriſtum in ſanctiſſimo Sacramento,
haud contenti ſunt; ſed ſemper ac continuò, hiante cor-
dis ore, vehementique animi ardore & affectu eundem
recipiunt.

Porrò hoc deſiderium, vt ultimam ſuam attingat per-
fectionem, extendi debet non ad eſum duntaxat; ve-

*S. Aug. To. 9 de Symb. lib. 4. c. 2.*

rùm etiam ad viſum: *Sic crede* (inquit S. Auguſtinus) *vt
deſideres videre, quod credis*: credere, ſimulac deſiderare
debes, vt videas, quod credis; deſidera manducare; ſed
etiam deſiderare oportet, vt videas, quod manducas.
Sufficit Fides viua, in ſpiritu ſumas, & manduces ſanctiſ-
ſimum Sacramentum, iuxta eiuſdem S. Auguſtini di-
ctum: *Crede, & manducaſti.* Fides hæc non ſola; ſed
videndi ſtipata deſiderio prodire debet: quia eſt Fides
viua, Fides amoroſa, Fides cum deſiderio videndi id,
quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod amatur. Quare Communio ſpiritualis iure ap- *Aug. l. cit.*
pellare poteſt Communio Beatifica: non enim in cre-
dendo gradum ſiſtit, ſed progreditur ad videndum, non
quidem actu Fidei cõtrario, ſed affectu & deſiderio, quod
ipſam perficit Fidem. Vocatur etiam Beatifica, quia ſi-
milis eſt Communioni Beatificæ Sanctorum in Cœlo, &
ſolum differunt in modo communicandi: etenim *Sancto-*
*rum ſubſtantia ibi eſt, vbi noſtra deſideria*: Sancti ſunt in *S. Bern. in*
Gloria per propriam ſubſtantiam, nos per deſideria. *feſto omni-*
Deinde ſatietas Beatorum eſt vera & perfecta ſatietas: *um Sanct.*
noſtra verò imperfecta quæ, vt aſſerit S. Auguſtinus, fa- *ſerm. 5.*
mes potiùs, quàm ſatietas Dei dici poteſt: tametſi com- *S. Aug. Pſ.*
paratione bonorum temporalium, quod cuncta eorum *32.*
deſideria & ſitim extinguat, perfecta vocari poſſit ſa-
tietas.

Verùm hanc veritatàm, quod, nimirum, Communio
ſpiritualis, vt ſit perfecta, credenda ſit cum deſiderio vi-
dendi, ratione ſuadeamus & probemus. Perfectus ani-
mæ cibus & Diuinitas in ſeipſa, in propria Gloria clarè
viſa; quia eſt cibus ſatietatis cuncta animæ deſideria per-
fectè adæquatèque explens & ſatians: ergò perſiſtere
non debet in deſiderando ſolam Carnem Chriſti; ſed
multò magis deſiderare debet Spiritum & Diuinitatem
Chriſti, ſicut in ſeipſa eſt in Gloria: *quia Spiritus eſt, qui* *Ioan. 6.*
*viuificat, caro autem non prodeſt quidquam.* Ergò in
Communione ſpirituali, vt ſit perfecta, credendum eſt,
& credendo deſiderare debet, vt videat. Hæc illa ſatie-
tatis Communio eſt, de qua loquebatur Dauid: *Edent*
*pauperes, & ſaturabuntur.* Quia *deſiderant & guſtant* *Pſal. 21.*
*bonum, quod eſt ſuper omne bonum*, quod eſt ſummum *Bellarmin.*
bonum Diuinitatis in ſeipſo viſum, aut *in ſpe*, aut *in re*,
aut in actu, aut in deſiderio. Non omnes tamen perfe-
ctam hanc attingunt Communionem; ſed tantùm pau-
peres: *Edent pauperes, & ſaturabuntur: qui nec copiam* *S. Aug. in*
*concupiſcunt huius ſæculi, nec timent inopiam*; illi, in- *Pſal. cit.*
quam, qui non ſperant huius vitę abundare diuitiis, nec
illis priuari pertimeſcunt. Huic etiam propoſito inſer-
uiunt verba illa Saluatoris: *Qui manducat hunc Panem,* *Ioan. 6.*
*habet vitam æternam*; in cogitatu & deſiderio habet vi-
tam æternam, vitam beatam, Gloriam æternam; affixus

terræ manere non debet, ſed neceſſe eſt, tranſitum faci-
at à menſa Altaris ad menſam Cœli, interſit Diuinæ il-
Cœnæ, & Angelorum veſcatur fruaturque Pane, & ad
modum eorundem Angelorum, *ſine Sacramenti cortice*
*nugo ſaturari grano* ſtudeat.

*S. Bern. in in Cant. 33.*

Ad hanc cordis ſatietatem aſpirare & anhelare de-
bet anima Chriſtiana, ac proindè ad Deum, & ad
Dei dona: *Omninò me non ſatiaret Deus*, ait S. Augu[ſti]-
nus, *niſi promitteret mihi ſeipſum Deum. Eſuriat [er]go*
tur, *& ſitiat peregrinatio mea, vt ſatietur præſentia [Dei].*
Hoc ſit igitur vnicum deſiderium meum, quieſcere [in]
præſentia clara Dei. Quamobrem Communio ſpi[ri]-
tualis, veluti ſupra dictum eſt, non conſiſtit in quocun-
que Dei deſiderio, ſed in deſiderio quodam ardente,
quod nec te viuere, neque quieſcere permittit, & quod
ſanctam quandam participat impatientiam: *& quantò*
*impatientiùs deſideramus ipſam* (cœleſtem, videlicet Ie-
ruſalem) *tantò patientiùs ſuſtinemus omnia propter*
*ipſam*. Neque perfectio hæc defuit Matri Dei ſanctiſ-
ſimæ, imò in gradu & modo eminentiſſimo eius parti-
ceps fuit, appetendò namque & deſiderando Filio ſuo
vniri in ſanctiſſimo Sacramento, eò maiori ardebat de-
ſiderio videndi ipſum facie ad faciem diſcooperto Sacra-
menti velamine: Quare ad imitationem Beatiſſimæ
Genitricis Dei, excita, anima mea, totum affectum tu-
um ad deſiderium Dei, dicendo: *O fons vitæ, vena aqua-*
*rum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ*
*de terra deſerta, inuia, & inaquoſa. vt videam virtu-*
*tem tuam, & gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericor-*
*diæ tuæ ſitim meam? Sitio, Domine, fons vitæ, ſatia*
*me. Sitio te Deum viuum; ô quando veniam, & ap-*
*parebo, Domine, ante faciem tuam! Putáſnè videbo diem*
*illam, diem, inquam, iucunditatis & lætitiæ, diem*
*quam fecit Dominus, vt exultemus &*
*lætemur in eâ.*

*S. Aug. To. 10. de Verb. Apo. ſerm. 16.*

*S. Greg. apud D. Bon. tom 4. lib 4. phar.*

*S. Aug. Soliloq. cap.*

CAP

# CAPUT X.

## *De tertio ſpiritualis Communionis modo perfectiſſimo.*

HAud dubium eſt, praxin præcedentis Communionis ſpiritualis omnem in ſe continere perfectionẽ, & vix ſcio, num alia perfectior dari poſſet. Nihilominùs Sanctorum inhærentes opinioni, alium adhuc Communionis modum fideliorem, efficaciorem, & ab omni proprii commodi ſuſpicione liberiorem, nec non ſimilitudini imitationique Chriſti proximiorem intimioremque, dari reperiemus. Hæc illa Communio eſt, quam docet S. Apoſtolus Petrus (*communicare Chriſti Paſſionibus*) communicare & participare de cunctis doloribus, de cunctis opprobriis & ignominiis Chriſti, de Cruce, Paſſione & Morte eius, ſi non cum effectu, ſaltèm cum affectu, amore & deſiderio. *1. Petr. 4.*

Vt hanc tanti momenti emolumentique veritatem à principio & origine declaramus & exponamus, conſiderandum eſt, qua ratione Chriſtus D. N. non ſolùm ſit via noſtra, ſed etiã vita noſtra; *Ego ſum via, & veritas, & vita*: ego ſum vera via, & vera vita; vera via in Cruce & Paſſione: & vera vita in Gloria & Reſurrectione. Vtrumque exemplum in Chriſto imitari debemus, eſt via Crucis, & vita Gloriæ. Siquidem, vt optimè docet S. Auguſtinus: *Docuit nos exemplo Paſſionis, cum quanta patientia in illo ambulemus; firmauit nos exemplo ſua Reſurrectionis, quid ab illo patienter ſperare debemus.* *Ioan. 14.* *S. Aug. ſer. de Verb. Dom. 26.*

Suppoſito hoc principio, perſpicuè hinc cognoſcitur, quanta ſit neceſſitas & perfectio ſpiritualis huius Communionis, qualisque modus ſit, quo exerceri debeat. Sanctum hoc exercitium conſiſtit in ardenti & efficaci quodam deſiderio recipiendi Chriſtum in Sacramento, & tanquàm viam, & tanquàm vitam, & tanquàm flagellatum, & tanquàm glorificatum: in deſiderio

communicandi & participandi & de Cruce Chriſti, &
de Gloria Chriſti. Hæc ſanctæ illius Sponſæ mens e-
Cant. 1. rat & ſententia, quando dicebat : *Faſciculus myrrhæ, Di-
lectus meus mihi ; botrus Cypri, Dilectus meus mihi.* De-
ſidero Dilectum meum in Sacramento abſconditum ;
communicando & participando de amaritudine myr-
rhæ Paſſionis ſuæ , & de dulcedine vuæ Reſurrectionis
ſuæ. Similis quoque affectus erat perdilecti illius Di-
ſcipuli S. Joannis, dicentis : *Ego Ioannes, frater veſter par-*
Apoc. c. 1. *ticeps in Tribulatione & Regno.* Particeps eſſe deſide-
ro vtriuſque conditionis Chriſti, & Paſſionis & Regni
ſui. Huic propoſito pariter congruunt hæc alia eiuſ-
1. Ioan. c. 4. dem verba : *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, à Deo non
eſt.* Quicunque hæc duo in Chriſto ſeparare ſatagit,
non habet ſpiritum Dei. Huiusmodi ſpiritum ſe ha-
Matth. 26. bere monſtrarunt Filii Zebedæi, vndè & reprehenſi ac
correpti fuêre à Chriſto : quod ſeparare vellebant viam
à termino, Paſſionem à Gloria : cùm peterent regnum ;
minimè verò cogitarent de tranſitu per viam Paſſionis.
Denique confirmata fuit hæc doctrina ipſâmet Chriſti
authoritate : Undè verba illa : *Qui manducat meam*
Ioan. 6. *Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æter-
nam* : exponuntur à D Bernardo in hunc ſenſum : *Qui*
S. Bern. de dilig Deo. *recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra*
Pſal. 71. *ſua, quæ ſunt ſuper terram : habet vitam æternam.* Et
S Bern in Pſal. Qui habit. ſerm 3. alibi : *Quid eſt manducare eius Carnem, & bibere eius
Sanguinem, niſi communicare Paſſionibus eius, & con-
uerſationem imitari, quam geſſit in terra.* Qui ergo ad
perfectam Communionem Saluatoris in ſanctiſſimo Sa-
cramento peruenire deſiderat, neceſſe eſt, ſe præmunire
ardentiſſimo quodam deſiderio communicandi om-
bus doloribus, tormentis, ignominiis, & opprobriis Paſ-
ſionis & Mortis Chriſti : appetat coronari ſpinis, com-
dilaniari flagellis, clauis crucifigi, felle & aceto potari.
Summa, ad hoc aſpirare, hoc vnicum cunctorum de-
deriorum finis, meta & ſcopus eſſe debet, vt ſit, ma-
rùm, quaſi alius Crucifixus in terra, totus afflictus, co-
nium dolorum, flagellorum , tormentorumque om-
vm quaſi receptaculum, totus, inquam, mortuus. Ta-
Galat. c. 6. erat Apoſtolus, quando dicebat : *De cætero nemo mihi*
*mole-*

*moleſtus ſit; ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Cæterum nullus mihi creet moleſtiam ſatagens me ſeiungere à cogitatu & deſiderio meo: quo per viam Crucis & Paſſionis penitùs me in Chriſtum transformari eique incorporari concupiſco: propter quod in corpore meo, tanquàm ſeruitutis meæ ſigna, geſto plagas & vulnera pro amore eius tolerata. Talis erat diſcipulus S. Ignatius Martyr, dilacerari exoptans à beſtiis, ac ſi anhelaſſet ad delicias: *Vtinam fruar beſtiis, quæ mihi parata ſunt.* Inſuper ad ſubeunda quæuis Inferni tormenta promptum ſe offerebat, vt mereretur vniri & coniungi Ieſu Chriſto: *Et flagella Diaboli omnia in me veniant, vt Ieſum Chriſtum merear adipiſci. Et deſidero mori pro Chriſto, amor enim meus crucifixus eſt.* S. Ignat. Mart. Ep. 12. ad Rom

Idem planè reliquis Sanctis affectus fuit, ad Diuinitatem Chriſti tranſirent per viam Humanitatis, intrarent Gloriam per anguſtas portas plagarum & tribulationum, Agni deſiderarent cibum, at ſimul cum lactucis amaris. Et vt deſcendamus ad praxin, hos, alioſue ſimiles in te, O anima mea, concitabis affectus, centiès milliesque de die deſiderando in ſanctiſſimo Sacramento communicare doloribus & opprobriis Chriſti, Cruci, Paſſioni & Morti eius: O quando dignabitur Dominus *ſuis vulneribus mentem meam vulnerare! Redde nobis, Domine, vulnera noſtra, quia innocens es: aut ſaltem tecum vulnera corda noſtra. Nolo Domine, ſine vulnera viuere, quia te video vulneratum.* S. Bonav. Stim. c. 2. Rogo te, Domine, nè differas gratiam inſtanter adeò à me petitam. *Quando, Domine Ieſu? quando hoc erit? Differre, Domine, mors mihi eſt; & ſi magis expectaueris, fortè deſiderio liqueſiam, & poſtea in liquido vulnera permanentia imprimi non valebunt.* Hanc præſtitiſti gratiam duriſſimam ferreisque inſtrumentis, clauis, lanceæ, inſtrumentis mortis, quæ *voluiſti tuum corpus vulnerando intrare*; & non concedes mihi, creaturæ tuæ rationali, eandem gratiam? *& me, tuam creaturam rationalem, intrare per iam facta vulnera non permittes?* Sed nunc experior, mi dulciſſime Jeſu, quod peccatorum meorum multitudo me reddat prorſus indignum tali gratiâ. Ad minus, Domine, ſi mihi denegetur pati, augeatur in me,

ac creſcat ſaltem eò magis deſiderium illius; vt non pati maiori me afficiat tormento, quàm ipſum pati, & non mori ſit mihi mors dura & crudelis. Proteſtor nihilominùs, dulciſſime Jeſu, quod nec velim, nec appetam, neque alium deſiderē amorem, quàm tuum; neque alias diuitias, quàm paupertatem tuam: nec alios honores, quàm ignominias & opprobria tua; neque conſolationes alias, quàm pœnas & dolores tuos. Caput meum, veluti tuum, ſpinis coronatum deſidero, oculos velatos, faciem ſputis & alapis oppletam, os felle & aceto potatum: deſidero manus pedesque clauis confixos, totum corpus flagellatum, excruciatum, duro Crucis ligno affixum: animam meam ad imitationem tuæ ſepelion mari quodam amariſſimo omnis tædii, timoris, doloris & triſtitiæ; & denique *ſi nunc ſatiabor, cùm afflictus fuero ad ſimilitudinem tuam*; tùm in altera vita contentus ero gaudendo ac fruendo Diuinitate tuâ: aſt nunc in hac vita patiendo & compatiendo cum Humanitate tua. Et hæc ſufficiant de praxi Communionis ſpiritualis.

## Cap. XI.

### *De Præſentia ſanctiſſimi Sacramenti per diem habenda.*

PAnis vitæ, Chriſtus duobus modis, ſecundùm D. Auguſtinum, præſens obtineri poteſt: in throno Gloriæ & in throno Sacramenti. Prima præſentia perfectiſſima eſt, & Angelis propria; ſecunda eſt imperfecta, & propria nobis. Noſtra igitur, tanquam imperfecta, quantùm fieri poteſt, imitari debet illam Angelorum perfectiſſimam; & de hac imitatione, vti & de modo cam exercendi agemus in præſenti.

*Rupert. 12. Exod. c. 3. lib. 10.*

Prima conditio præſentiæ Angelorum eſt, quod ſit continua; ſiquidem omne bonum in Deo reperiunt, & nullum extra ipſum. Undè benè dixit Rupertus Abbas: *Hic Panis* (Diuinæ Eſſentiæ) *victus & vita eſt ſubſtan-*

tia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*...ia Angelica*, & omne bonum eſt, & pulchrum Angelorũ, quemadmodum *eſt omne bonum & pulchrum Dei.* Si- *Zach. c. 9.* militatione oportet, continua ſit in nobis, quantùm poſſibile eſt, præſentia ſanctiſſimi Sacramenti, habendo illud ſemper præſens aut *in re*, aut *in voto*, mediante Cõmunione Sacramentali, vel ſpirituali: enimuerò totũ bonum tuum, anima mea, eſt in hoc Diuiniſſimo Sacramẽto, & extra illud nullum aliud reperis bonum: quia in Corpore ſuo Deus conſarcinauit omnes Diuinitatis ſuę theſauros, adeò, vt aliud non ſuperſit medium, nec ſit alia via, inquit S. Auguſtin. participandi gratias Dei, niſi mediante Carne & Corpore ipſiusmet Dei. Quapro- *S. Auguſt.* pter conſulit: *Si vis viuere de Spiritu Chriſti, eſto in* *tract. 26. in* *Corpore Chriſti.* Vndè de ſanctiſſimo Sacramento veri- *Ioan.* ficari poteſt illud Iſaiæ: *Non eſt abſque te Deus.* Quia *Iſa. c. 45.* nonniſi in ſanctiſſimo Sacramento Deus reperitur per participationem donorum ſuorum Diuinorum. *Non* *S. Dionyſ.* *contingit aliquem perfici perfectione Hierarchica niſi per ſanctiſſimum Sacramentum.*

Secunda conditio eſt, quod ſit præſentia intima; etenim *ſcrutatur Angelus etiam profunda Dei*, in perfecta & clara viſione Eſſentiæ Dei, attributorum eius infinitorum, Diuinarumque Perſonarum. Ad eundem modum intima ac profunda eſſe debet præſentia ſanctiſſimi Sacramenti: vt non perſiſtas in viſione ſpecierum Sacramentalium, ſed ab hiſce tranſeas ad Corpus Christi, à Corpore ad Animam, ab Anima ad Diuinitatem, & à Diuinitate ad Trinitatem Perſonarum, quæ ibidem exiſtunt *per naturalem ſequelam*, tametſi diuerſo modo: Perſona Verbi immediatè, tanquàm ſuppoſitũ Corporis & Sanguinis Chriſti; aliæ verò Perſonæ mediante Diuinitate. Præterea in Corpore, purgabis, ac mundabis te in mari pretioſiſſimi ſui Sanguinis; in Anima, te illuminabis in Lumine cœleſtiũ ſuarum virtutũ (& in particulari in virtute Patientiæ). In Diuinitate, te perficies, in igne Charitatis & Amoris Dei, ſanctiſſimæque Triadis. Quapropter contemplaberis Chriſtum in ſanctiſſimo Sacramento, veluti Templum cœleſte, vbi Corpus *Exod. c. 25.*

*Exod. c. 30.* ſanctiſſimum eſt Atrium, in quo eſt *labrum aneum* vi-
delicet, concha Sanguinis, *ad lauandum*: Anima eſt San-
ctuarium, in quo eſt *candelabrum* cum ſeptem Lucernis
ſeptem Donorum Spiritus ſancti *ad illuminandum*: &
Diuinitas eſt *Sancta Sanctorum*, vbi aſſeruatur manna
cœleſtis dulcedinis & conſolationis *ad Deificandum*.
Hiſce in locis, anima mea, tibi commorandum eſt: in A-
trio, in Sanctuario, in Sanctis Sanctorum: nimirùm, in
Corpore, in Anima, & in Diuinitate Chriſti, vt ibi in
igne Diuinitatis: ibique exercebis te in contritione pec-
catorum tuorum; in Patientia Chriſti, & in Charitate
Dei. Verùm principalis habitatio tua ſtatuenda eſt
*Carthuſ. tom de ſanctiſ. Sacram. art. 7* in Diuinitate; vt enim rectè aſſerit Carthuſianus *Incor-
poratio eſt propter incordationem*: nimirùm in ſanctiſſimo
Sacramento, vnio corporalis eſt propter vnionem ſpiri-
tualem inter Diuinitatem & animam conſiſtentem me-
diante gratiâ: vbi intellectus cibatur primâ veritate, vo-
luntas ſumma bonitate, tanquàm proprio cibo.

Tertia conditio præſentiæ Dei in Angelis eſt, quod ſit
præſentia amoroſa ſeu affectuoſa: ſicut enim ſunt ſub-
ſtantiæ puræ intellectiuæ; ita purè affectiuæ, vnius af-
fectus, vnius amoris ergà Deum Deum ſolum.

Eo modo debet eſſe conſtituta præſentia ſanctiſſimi
Sacramenti. E duobus amor vnus, aut Chriſti, aut pec-
cati tibi eligendus eſt, anima mea. Pondera æquâ ratio-
nis lance, quis è duobus ſaluti tuæ magis conducat &
expediat. Quid eſt Deus? Eſt quoddam infinitum &
æternum gaudium per eſſentiam. Ergò amando De-
um; eris aliquod infinitum & æternum gaudium per par-
ticipationem. Quod eſt peccatum? Eſt infinita quæ-
dam, æternaque triſtitia: ergò &c. Amor hic ergà San-
ctiſſimum Sacramentum non debet eſſe affectiuus dun-
taxat; verùm etiam effectiuus & efficax, nô tantùm cor,
ſed etiam linguam & manum conferendo in ſeruitium,
obſequium, ac debitam ſanctiſſimi Sacramenti vene-
rationem, linguâ illud ſemper laudando ac benedicendo
bus variis orationibus iaculatoriis ſequenti-
ſimilibusque: Laudetur ſemper ſanctiſſimum Sacra-
mentum: Benedictum ſit ſemper ſanctiſſimum Sacra-
mentum, & laudabile & glorioſum in ſæcula. Credo,
ſpero,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Credo, ſpero, & amo ſanctiſſimum Sacramentum. *Panis vitæ viuifica me. Pignus æternæ Gloriæ ſalua me. Omne bonum, abſorbe me. Fac me verè credere in te, vt in alia vita videam te in ſæcula ſæculorum Amen.* Et tempore tentationis vtiliſſima & præſens oratio, quâ vtitur S.M. Eccleſia in officio: *O ſalutaris hoſtia, Quæ cæli pandis oſtium, Bella premunt hoſtilia, Da robur, fer auxilium.* Et hæc pro imitatione præſentiæ Angelorum in Deo dicta ſufficiant.

Pro coronide exercitii huius, compoſitionem loci præſentiæ iſtius hâc conficies norma. Sanctiſſimam imaginaberis tibi Virginem, cœleſti vndique Gloriâ adornatam, quæ ſacratis manibus ſuis ſacram teneat ſphæram, ſanctiſſimum Sacramentum comprehendentem: & ſuprà hanc ſanctiſſimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum infinitâ quâdam Angelorum caterua circumdatos. Auſcultabis verba Virginis nos inui-
tantis ac dicentis: *Venite, comedite panem meum, & bi-* *Iſa. 45.*
*bite vinum, quod miſcui vobis.* Suauem audies muſicam Angelorum concinnentium: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Inclinabis te ad vocem Patris: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Reuereberis præſentiam Spiritus ſancti, qui Gratiæ ſuæ plenitudine reſidet in ſanctiſſimo Sacramento, veluti in proprio virtutis ſuæ opere. Admiraberis Cœlum, Terram, & creaturas omnes, ſingulas in propria lingua iubilantes & exultantes in præſentia ſanctiſſimi Sacramẽti, Diuinam deprędicando Maieſtatem in hoc opere, tanquam in vltimo infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis in termino conſtitutam. Solus Dæmon cum ſuis aſſeclis excluſus remanet ab hoc debito ſeruitutis & lau-
dationis officio, *quod quia facere contempſit Angelus;* *Rupertus*
*cecidit & factus eſt Diabolus, qui & huius Panis ſempiter-* *Abbas*
*nam patitur inediam. Abſcedat vanitas, accedat Diuini-* *Exod. 10 13*
*tas, transformet Charitas, & fiam totus Diuinus.* Glorifi- *S. Bonau.*
cando illud etiam opera manuum, omnia faciendo
ad honorem & gloriam ſanctiſſimi
Sacramenti.

## Cap. XII.

### *De duodecim fructibus ſanctiſſimi Sacramenti.*

S. Joannes in Apocalypſi ingentem vidit fluuium ab ipſa ſede Dei & Agni originem ortumque ſuum ducentem: *Vidi fluuium procedentem de ſede Dei & Agni.* Et in medio fluminis huius magna exurgebat arbor, quæ duodecim producebat fructus. *Et ex vtraq; parte lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Per fluuium, iuxta Ruperti aliorumque expoſitionem, intelligitur Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio: & per arborem vitæ è fluuio hoc pullulantem alii intelligunt Christum: at noſtro conformiter propoſito nos capiemus ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, in quantum effectus eſt, & opus Spiritus ſancti, vti ſupra inſinuauimus. Ex hac arbore duodecim pullulant fructus, qui ſunt duodecim gratiæ & dona, quæ cauſat in nobis ſanctiſſimum Sacramentum; quorum etiam mentionem facit Propheta Ezechiel, & ſingula nunc ordine recenſebimus, aſſiſtente nobis eâdem Spiritus ſancti gratiâ.

*Apoc. c. 22.*

*Rupertus in hunc locum.*

*Ezech. c. 16*

I.

## Lauite.

*S. Th. q. 79 art. 4.*

Hic eſt primus fructus ſanctiſſimi Sacramenti: lauare & expurgare animam à peccatis, remittendo venialia, & præſeruando à mortalibus, veluti ſupra explicatum eſt.

II.

## Unxi te.

Et eſt ſecundus fructus, vnctio Gratiæ Sacramentalis, quæ

ſi, quæ eſt Gratia habitualis, in quantum connotat actualem ad finem Sacramenti neceſſariam. Idque ſignificat nomen Euchariſtiæ, id eſt, bona gratia: quia continet Gratiam increatam Chriſti, & confert Gratiam creatam.

## III.

## Veſtiuit te.

Chriſto, tanquàm veſte, quod contingit transformando ſe in Chriſtum. *Induit me veſtimentis ſalutis.* Isa. 61. *Induit me Chriſto & Saluatore.* Ex Hieron. Et hoc, quod quis veſtiatur Chriſto, ac transformetur in Chriſtum, mirabili modo fit in ſanctiſſimo Sacramento.

## IV.

## Calceaui te ianthino.

Calceamenta coloris violacei & cerulæi ſymbolum ſunt affectuum cæleſtium. Sanctiſſimo mediante Sacramento tota cœleſtis euadit anima, ad modum panis, quem manducat, *de Cœlo cœleſtis.* Ioan. 6. Propterea, quamdiu adhuc præſentem agit vitam, duplex ei concedit ius ad Gloriam animæ ſimul & corporis, vti ſupra dixi. Undè ſanctiſſimum Sacramentum meritò appellatur *Symbolum Reſurrectionis, Pharmacum immortalitatis.* Imò piè credunt nonnulli, corpora glorioſa, in ſignum contactus Carnis Chriſti, & quod in præſenti vita dignè ſacram ſumpſerint ſynaxin, ſplendore quodam particulari, tanquam Aureola, fore dotanda, in ſignum Communionis & vnionis corporalis cum Chriſto in terris habitæ.

## V.

# Dedi circulos auribus tuis.

Circuli, id eſt, Inaures ſignificant virtutem Fidei, quæ *eſt ex auditu*, & ſpecialis ſanctiſſimi Sacramenti fructus eſt. Vt propterea nuncupetur *Myſterium Fidei*, quia tribuit vim & virtutẽ credendi ſupra omnem ſenſum & ſupra omnẽ rationẽ; at nõ contrà rationẽ. Siquidem, vt docet S. Thom. *In Sacramento veritas, & nulla falſitas, vel deceptio debet includi.* Neque ſenſus decipiuntur, cùm nonniſi de accedentibus ſolùm iudicent, quæ, ſicuti à parte rei exiſtunt, ita quoque videntur; aſt intellectus lumine Fidei illuſtratus iudicat, non adeſſe ibi ſubſtantiam panis, ſed Corpus Chriſti. Inſuper dicitur *Myſterium & Sacramentum Fidei*, quia eſt myſterium occultiſſimum, *Vbi eſt Deus abſconditus*, Diuinitas in Humanitate, & Humanitas in ſpeciebus Sacramentalibus: & vtraque eſt inuiſibilis & obiectum Fidei, quæ eſt *de inuiſibilibus*.

*In 4. diſt. 11 q. 1.*

*S. Th. q. 75. art. 1.*

## VI.

# Armillas in manibus.

Armilla ornans manum ſignificat ſpem, quæ robur, viresque ſuppeditat ad benè operandum. Et hæc quoque ſanctiſſimi Sacramenti effectus eſt, ac propterea vocatur Viaticum. *quia in via nos reficiens, vſque ad Patriam deducit. Quid deſperas?* ait S. Auguſtinus *ſpera in ſanctiſſimo Sacramento, in quo habes & Patriam, habes & Patrem, habes & patrimonium.* Præterea *eſt ſubſtamentum Spei noſtræ* ſanctiſſimum Sacramentum, quia, vt mox dicetur, perfectè nos vnit Chriſto, obiecto primario Spei noſtræ.

*Mag. in 4. diſt. 8.*
*S. Th. 3 p. q 79. art.*
*S. Aug. Pſ. 84.*
*S. Th. q. 75. art. 1.*

VII. E

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## VII.

## Et torquem circa collum tuum.

Torques, cingens collum tuum, & ad pectus vſque propendens Charitatem, Charitatisque perfectionem, fructum ſanctiſſimo Sacramento valdè proprium, indigitat. Vndè vocatur *Synaxis*, id eſt, *Communio:* qui per illam in vnione perfectæ Charitatis adunamus & coniungimus nos Deo & Proximo noſtro. Qua de cauſa nuncupatur etiam *Sacramentum Charitatis*, *Sacramentum Amoris*. Et tametſi Sacramentum Confirmationis ſit etiam *Sacramentum perfectiuum*, quia confirmat & perficit Charitatem: attamen non eſt *perfectiuum in ordine ad coniunctionem cum Christo*, veluti eſt Sacramentum Altaris, ſed eſt in ordine ad oppugnandas externas inimicorum tentationes. *S. Tho. 3. p. q. 79. art. 1.*

## VIII.

## Cinxi te byſſo.

Byſſus eſt cingulum vel faſcia ex candidiſſimo lino, ſymbolum Puritatis, quam confert ſanctiſſimum Sacramentum. Et quænam maior dari poteſt puritas, quàm cùm quis aſſumitur ad vnionem propriæ Diuinitatis Filii Dei. Vndè ſanctiſſimum Sacramentum appellatur *Metalepſis*, *id eſt*, *Aſſumptio, quia per illud ad ſummam Puritatem Diuinitatis aſſumitur.*

## IX.

## Facta es mihi.

*Sponſa*, vt exponit S. Hieronymus, quia in hoc Sacramento anima noſtra deſponſatur Chriſto media corporum vnione, & multò magis vnione voluntatum. Hæc conformitas noſtrarum voluntatum cum voluntate Chriſti, inquit S. Bernardus, *maritat animam Verbo*. Vndè conſulit Tertullianus: *Nupſiſti Christo? incede ſecundùm Sponſi tui voluntatem.* Etenim Sponſa fidelis Sponſo tuo, vt notat S. Baſilius, *contemnit, quidquid oculis apparet & nudâ mente amore Sponſi ſatiatur.* Et tanquàm propriæ Sponſæ, dicit ipſemet Propheta Ezechiel

*S. Hier.* *S. Bern. ſer. 38. in Cant.* *Tertull. de velandis Virg. c. 16.* *S. Baſil. lib. de vera Virginit.*

chiel: *Coronam decoris poſuit ſuper caput eius*, tanquam Cant. 4. Reginæ Regis Sponſæ: *Veni de Libano, Sponſa mea, veni, coronaberis.* Verùm, ſi in particulari loquamur de Sponſa noſtri intellectus, & de Sponſa voluntatis noſtræ; reſpondet Carthuſianus: *Veritas increata*, intellectus noſtri cibus, eſt propria Sponſa intellectus creati; & *Bonitas increata*, cibus voluntatis eſt Sponſa voluntatis.

Carth. a. 8.

X.

# Expandi amictum meum ſuper te.

*Amictum*, vel, vt alii legunt, *alam meam* Diuinæ protectionis, quâ Chriſtus tutatur animam veluti propriam Sponſam. Undè, quamuis conſumptis ſpeciebus Sacramentalibus Corpore diſcedat; nihilominùs moraliter manet per auxilium Diuinæ protectionis, ipſam ab omni ſpecie mali defendendo, & ad bonum promouendo.

XI.

# Ecce tempus tuum, tempus amantium.

Chriſtus fungitur officio Sponſi, præſcribendo Sponſæ modum viuendi, quem obſeruare, qualique exercitio ſeſe occupare debeat. *Tempus tuum erit tempus amantium.* Seu, vt legunt alii, *tempus nuptiarum, tempus amorum.* Unica ſola erit occupatio tua, vt te exerceas in amore mei, veluti ego me occupabo in amore tui: vnde *tempus tuum*, tempus totũ vitæ tuæ, erit tempus amantis, tempus ſponſalitii, tempus amoris. Talis erat modus viuendi iſtius ſanctæ animæ, veræ Chriſti Sponſæ, quæ de ſeipſa dicebat: *Hæc eſt animæ meæ aſſidua exercitatio, totis viribus ſemper intendere in Deum, ſummum amorem, & ſummum bonum.* In quo etiam ſenſu Carthuſianus accipit illa verba Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem, id eſt, in commemorationem amoroſam,* exercendo actus amoris, & contemplando Charitatem meam erga vos. Sed aduertendum eſt, quod dicatur in

S. Bern. de natura Diuini Amoris. c. 2.
Carthuſ. de Sacram. art. 17.

numero

numero plurali, *tempus amorum*: etenim cum exercitio Amoris Dei combinandus quoque eſt Amor proximi; amando perfectè Deum, non ſolùm *intenſiuè* in ſcipſo verùm etiam *extenſiuè* in creaturis.

## XII.

# Similam, mel, & oleum comediſti.

Hic eſt duodecimus fructus, fundamentum & radix aliorum. Cunctis ditatus es bonis, donis & gratiis, ex eo, quod in ſanctiſſimi Sacramenti ſumptione cibatus fueris de flore farinæ, de Corpore Chriſti, guſtaueris mel Sanguinis, & oleum Diuinitatis. Cum hoc enim totum dedi, quod dare potui, nec quidquam mihi ſupereſt, quod dare valeo, inquit Chriſtus. Ac proptereà, iuxta mentem D. Auguſtini, Euchariſtia *per Antonomaſiam* dicitur *Gratiarum actio: quia cùm omnia in illo donauerit; non reſtat aliquid aliud petere, ſed tantùm gratias agere.* Beati igitur, *qui vt catelli edunt de micis cœleſtis Panis Sacramenti. O vberes micæ, quæ repellitis ieiunium ſempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis epulis!* Et cum hoc praxi deuotionis ergà ſanctiſſimum Sacramentum imponitur finis.

*S. Aug.*
*S. Ambroſ. in Luc. 15. lib. 17.*

EXER-

# EXERCITIVM TERTIUM.

## DE SACRIFICIO MISSAE.

EXercitium hoc in tres ſecabitur partes. In primâ de eo, quod ante Miſſam. In ſecundâ de eo, quod in Miſſa. In tertiâ de eo, quod poſt Miſſam peragendum eſt, tractabitur.

### Diſpoſitio & Præparatio remota ante Miſſam.

TAnquam certiſſimum primò ſupponendum eſt, meliori vtilioréque haud eſſe quempiam vti praxi ſacroſanctum celebrandi Miſſæ Sacrificium, quàm quod omni cum deuotione, curâ, & diligentiâ attendat ad dicenda & peragenda, quæ in eodem ritu & officio Miſſæ præſcribuntur diſtinctè, nimirùm, proferendo verba, penetrando ſenſum, ac pios ex eodem eliciendo affectus. Hic eſt modus celebrandi decentiſſimus ac fructuoſus, quem & S. Bernardus vſurpauit & conſuluit hiſce verbis: *Fratres mei, immolantes hoſtiam laudis, iungamus verbum verbis, ſenſum ſenſui, affectum affectui.* Præterea moni-

*ApudDur. lib. 4. c. 1.*

co-

cordis & vocis coniungendus eſt actus corporis, eâ maturitate ac deuotione, quam eædem ceremoniæ & rubricæ Miſſæ poſtulant. Nihilominùs ad primam hanc praxin, ſeu exercitium, quod ſupponitur vt principale & eſſentiale, ſeu baſis & fundamentum, neceſſaria ſunt, & conducunt nonnulla alia, ad hoc, vt illud primum maiori cum deuotione peragatur. Et quamuis ſacroſancto myſterio Myſſæ, vt etiam benè aduertit S. Bonauentura, *nihil addendum, nec minuendum ſit*, hoc tamen, vt idem innuit, intelligendum eſt vocaliter: nam eodem tempore Miſſæ mentaliter, idque magnâ cum laude & fructu, exerceri poſſunt varii actus interni, voluntatisque affectus, iuxta varietatem myſteriorum & Sacramentorum, quæ in ea pertractantur. Suppoſito hoc principio, tanquàm certiſſimo: è re erit exercitium aliquod mentale, vt, nempè, ante Miſſam nonnullas nobis efformemus conſiderationes. *S. Bona. in expoſ. Miſſ.*

## Consideratio I.

PRiusquàm des initium venerando Myſterio Miſſæ, attentè & profundè conſidera, *quò vocaris?* vt agas cum Deo, cum ſanctiſſima Trinitate; in nomine Chriſti, ſanctiſſimæ eiuſdem Matris, totius Eccleſiæ Triumphantis, ſimul & Militantis: de negotio quodam grauiſſimo & ſummi momenti: de gloria Dei: de ſalute Mundi: & nonniſi ſub titolo Legati Chriſti D.N. Undè dicere poteris cum Apoſtolo: *Pro Chriſto legatione fungor in catena*; nimirùm, Crucis inſtructus armis. *Conſideratio Finis.* *Epheſ. 6.*

## Consideratio II.

ALtaris locum, in quo celebrandum eſt, compones, imaginando tibi, altare eſſe montem Caluariæ, in medio illius plantatam Crucem cùm Chriſto crucifixo, & pedi Crucis aſtantem Beatiſſimam Matrem eius Virginem Mariam. Ulteriùs repræſentabis tibi cœlum ſeu Paradiſum apertum, nec non Sanctum, aut Sanctam illam, de qua iſto die celebratur Miſſa, ſpeciali gloriâ & ſplendore coruſcantem. In gradibus ſupra altare ſitum

erit Purgatorium. In cornu Evangelii aſtabit Summus Pontifex cum toto Statu Eccleſiaſtico, & in cornu Epiſtolæ Imperator cum toto Statu ſæculari. Retrò Sacerdotem propè pedem altaris ſtabunt omnes peccato mortali obnoxii, Gentiles, Hæretici, mali Chriſtiani. Sub altari conſtituetur Infernus patens, cunctos peccatores, quotquot Sacrificii nō ſunt facti participes, abſorpturus. Et in profundiori Inferni loco cōtemplaberis te ipſum, ob peccata tua illùc condemnatum. Adhæc inſpicies ſacratisſima quinque vulnera Crucifixi in medio altaris poſiti, veluti quinque fontes ad irrigandam fœcundandamq; pretioſiſſimo ſuo Sanguine vtramq; Eccleſiam mortalium ſimul & viuentium. E ſiniſtro pede ſpectabis fluuiũ quendam Sanguinis promanantem, in ſalutem peccatorum: è dextero alterum, in ſalutem gloriam animarum purgatorii: è manu dextera alium, in ſalutem Summi Pontificis & Eccleſiaſticorum: è manu ſiniſtra alium, in ſaluationem Imperatoris, aliorumq; Dominorũ temporalium. Ac deniq; Sanguine è latere Chriſti profluentem in cœlum vſque ſuſpicies ſalientem, ad gloriam ſanctiſſ. Trinitatis, Humanitatis eiusdem Chriſti, Sanctiſſ. Matris Virginis Mariæ, cunctorumque Sanctorum & Angelorum cœleſtium. Undequaque Sacramentum hoc virtutem ſuam diffundere conſpicies: ſolùm ad ima Inferni nō deſcendit vlla vis Sacramenti huius in ſalutem iſtarum infœlicium & miſerarum animarum. Cum hoc igitur ordine rogabis in duobus illis *Memento* Miſſæ, pro peccatoribus, pro iuſtis, pro animabus Purgatorii, pro Gloria Dei & Sanctorum, dicendo; Gratiam, Domine, Sanctitatem, & Gloriam humillimè efflagito: Gratiam peto concedi conſtitutis in peccato mortali: Sanctitatem Statui Eccleſiaſtico & ſæculari: Gloriam eſſentialem animabus Purgatorii (& hoc fiet in Memento pro mortuis) & accidentalem toti cœleſti Curiæ.

## CONSIDERATIO III.

*Conſideratio Circũſtant.*

COnſiderabis inſuper ante Miſſam hęc quinq; puncta. Quis offerat, Cui, Quid, In quē finem, ac Quomodò offeratur ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium.

Quis offerat? Principalis offerens eſt Chriſtus, & non ſolùm

ſolùm ratione rei oblatæ Sacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris, ſed ſemper eſt acceptiſſimum Patri æterno: Offerens ſecundarius & inſtrumentalis eſt Sacerdos, qui non in propria perſona, ſed in perſona Chriſti offert, in quantum repræſentat Chriſtum, ſeu tanquàm Vice Chriſtus. Undè in Conſecratione non dicit: *Hoc eſt Corpus Chriſti*; ſed: *Hoc eſt Corpus meum*. Et ſicuti, quod me concernit, *reſponſum mortis habui*; ita, in quantùm repræſento, ſperare debeo, *vt dignetur Pater hoc holocauſtum in odorem ſuauitatis accipere*. *2. Cor. 1.*

Cui offeratur? Deo, recognoſcendo eum vt rerum omnium primum principium & vltimum finem. Undè non offertur ipſis Sanctis; ſed propter Sanctos: Deo, videlicet, in gratiarum actionem, propter gratias Sanctis conceſſas.

Quid offeratur? Totus Chriſtus, Corpus, Sanguis, Anima, Perſona, Diuinitas, Virtus, Merita Chriſti.

In quem finem? Triplex illius finis eſt, juxta S. Bonaventuram: Deus, Chriſtus, Proximus, Ad gloriam Dei, in memoriam Paſſionis Chriſti, vtilitatem Proximi.

Quomodo offeratur? Sub forma panis & vini, vt hoc idem, quod offertur tanquam Sacrificium ad gloriam Dei, ſic Sacramentum in vtilitatem hominis.

## CONSIDERATIO IV.

*Inuocatio B. Virg. Mariæ.*

TOtus de propriis diffidens viribus pro huius rei executione, omni cum fiducia recurres ad ſanctiſſimā Virginem Deiparam, planè confidens in potētiſſimo auxilio ac patrocinio huius virginis, tanquàm Matris Chriſti, veri, vtpotè, Sacrificii & Hoſtiæ Altisſimi. Quapropter pluribus in locis Canonis Miſſæ mentio fit ſanctiſſ. Matris Dei: in *Communicantes*, in *Suſcipe ſancta Trinitas*, in *Libera nos* &c. & antiquitùs celebrabatùr etiam memoria eius in *Gloria in excelſis Deò*, in iſtis verſibus: *Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſſimus, Ieſu Chriſte*, & dicebatur: *Tu ſolus Sanctus Mariam ſanctificans; Tu ſolus Dominus Mariam gubernans: Tu ſolus Altiſſimus Mariam coronans*. Deindè in feſto ſanctiſſ. & immaculatæ Conceptionis eius iidem verſus variabantur hoc modo: *Tu ſolus Sanctus Mariam præſeruaſti: Tu ſolus Dominus Mariam fabricaſti: Tu ſolus Altiſſimus Mariam ſublimaſti.* *In Miſſali Romano Anni 1515.*

Rogabibis igitur præcelſam hanc Dominam & Reginam, vt ſuſcipiat te in ſeruum tuum, & in perpetuum mancipium ſuum, & dignum te faciat miniſtrum altaris Filii ſui.

## CONSIDERATIO V. & ULTIMA.

LEgatus, priusquàm legationis ſuæ exordiatur negotia, ſiſtere ſeſe debet ſuo Principi, vt ab eodem plenam commiſsionis ſuæ inſtructionem recipiat, & vltimam voluntatē intelligat; Sacerdos pariter, antequàm Miſſam inchoet, corde & animo in Paradiſum cœleſtem ſeſe transferat, oportet, vt benedictionem, & vltimam inſtructionem expediendorum recipiat à ſanctiſsima Trinitate, ab Humanitate Chriſti, & ſanctiſsima Matre. Mente igitur in cœlum ſubleuatus humillimè procides in genua, teque proſternes ante thronum ſanctiſsimæ Trinitatis, ſanctam poſtulando bendictionem, & dicendo: *Iube Domine benedicere.* Reſpondebit Pater æternus: *Benedicaris in virtute potentiæ meæ.* Reſpōdebit Filius: *Benedicaris in lumine Sapientiæ meæ.* Reſpondebit Spiritus Sanct. *Benedicaris in gaudio Bonitatis meæ.* Eandem poſtulabis benedictionem ab Humanitate Chriſti, & reſpondebit: *Benedicaris in efficacia Sanguinis vulnerum meorum.* Eandem benedictionem petes à Beatiſsima Virgine, & ſimile tibi dabit reſponſum: *Benedicaris in abundantia vberum meorum.* Hiſce roboratus & confiſus benedictionibus deſcendes in terram, non tamen ſolus, ſed Angelorum ſtipatus comitatu, qui libentiſsimè te comitabuntur miniſtraturi tibi in ſacroſancto Sacrificio. Hæc de præparatione remotâ: ſequitur nunc proxima conſiſtens in lotione manuum, ſacrarum veſtium indumento, & proceſſu ad altare.

## Præparatio proxima ante Miſſam.

IN prima actione, conſiderans verba illa, quæ Sacerdos dicit lauando manus (*omnem maculam*) te totum expurgare debes ab omni ſpecie maculæ, & corporis & animæ; adeò, vt nihil planè in te reperiatur, quod ſapiat

terre-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

terrenum & humanum, ſed totum ſit Diuinum; *Sis totus alteratus, & Diuinus effectus, vt nihil reſpicias, niſi ſolum Deum.* In ſecunda actione, quâ ſacris induceris veſtibus, conſidera, quâ ratione Sacerdos veſtibus ſacris indutus repræſentet Chriſtum cum inſtrumentis & myſteriis Paſſionis ſuæ. Amictus ſignificat velamen, quo obuelatus fuit in domo Caiphæ: Alba veſtem albam innuit iuſſu Herodis ei impoſitam: Cingulum indigitat funem, quo ligatus fuit in horto: Manipulus illum indicat funem, quo columnæ alligatus fuit: Stola vltimum funem denotat, quo colligatus fuit deferens Crucem ad montem Caluariæ: & Planeta ſeu Caſula ipſam deſignat Crucem. S. Bona. in Expoſ. Miſſ.

Præterea hæ ſacræ veſtes varias conſignificant virtutes, quibus Sacerdos ornatus eſſe debet: *Diligenter aduertat Sacerdos, vt ſignum ſine ſignificato non ferat, vt veſtem ſine virtute non portet.* Amictus, ſignificat Fidem: Alba innuit candorem Innocentiæ, Cingulũ indigitat Caſtitatem: Manipulus indicat Patientiam: Stola denotat Obedientiam: Planeta ſeu Caſula deſignat Charitatem. Veſtito ergò Sacerdote. Durand. lib. 3 c 1.

Sequitur tertia actio, quâ procedit verſùs altare, veluti alter Chriſtus, in humeris portans Crucem verſus Montem Caluariæ. Ubi conſidera, quomodo *Angeli pacis amarè flentes*, deferant in proceſſione inſtrumenta Paſſionis, Sacerdotem altare verſùs comitantes: ac ſancta Dei Mater, aliæque Mulieres *plorantes & plangentes* proximè ſubſequantur.

## In Miſſa.

QUinque ſunt principaliores Miſſæ partes: Præparatiua, Inſtructiua, Celebratiua, Perceptiua, & gratiarum Actiua. 3. p. q 83.

### *PRIMA PARS.*

IN prima parte Miſſæ, quæ eſt Præparatiua, continetur *Introitus, Kyrieeleiſon, & Gloria.*

*Prima pars Miſſæ præparatiua.*

In principio Miſſæ, cùm te primò commendas Angelo tuo Cuſtodi tibi aſſiſtenti, veluti ſolet aſſiſtere Sacerdoti primitias celebranti.

*Iudica me Deus.*

1. Conſidera, quâ ratione Pſalmus, Judica me Deus,

ſit quaſi breuis quædam formula & compendium materiæ & finis cœleſtis legationis, quâ fungitur Sacerdos, quia in nomine Chriſti orat pro Eccleſia, *deduci & adduci; deduci in via bona* huius vitæ, *& adduci in terminum beatum* alterius vitæ. Idque per duo media: per hoc, nimirùm, quod liberemus ac defendamur ab omni tentatione Dæmonum, nec non à gente non ſanctâ & peruerſâ: & per illud, quod Diuina luce illuminemur.

*Confiteor.* 2. Conſidera ſub *Confiteor*, quod, vt aduertit S. Bonauentura, tametſi Sacerdos, tanquàm Chriſti Legatus, repræſentet Chriſtum; non tamen deſinit eſſe, qualis in ſe eſt, peccator. Quapropter profundiſſima humilitate confiteri debes culpas & peccata tua, intimo ac cordiali dolore ea deplorando ante conſpectum Dei. Et in actu illo, quo ſtas ita profundè inclinatus, conijce oculos in Infernum & pœnam æternam, quam ibidem ob peccata tua promereris: exorando cum hoc dolore ſanctiſſimam Dei Matrem, vt veram tuiipſius cognitionem, veramq; obtineat humilitatem, propter ſuam ſuiq; Filii humilitatem, quæ per eandem *Sacerdotis* inclinationem repræſentatur. Et propter eundem finem, veræ, videlicet, humilitatis, puritatisque cordis conſecutionem, magno cum affectu ac deuotione recitabis duas alias orationes immediatè ſubſequentes: *Aufer à nobis, quæſumus Domine, &c. Oramus te Domine, &c.* Hæc eſt optima, imò, *Lib. 1. Ep. 254.* opinione Gregorii, vnica & ſola diſpoſitio pro ingreſſu Sacerdotis ad altare: *Sola humilitas eſt officii Sacerdotalis erectio.*

*Kyrie eleiſon.* 3. Sub *Kyrie eleiſon & Gloria in excelſis*, conſidera præſentis vitæ miſeriam, & fœlicitatem alterius. Kyrie dicitur nouies: tria *Kyrie eleiſon* Patri, tria *Chriſte eleiſon* Filio, & tria alia *Kyrie eleiſon* Spiritui ſancto dicuntur; cum intentione orandi pro tribus humanis miſeriis ignorantiæ, culpæ & pœnæ Et ſub *Gloria in excelſis* corde ſaltem mentio fieri poteſt Beatæ Virginis, veluti ſupra dictum eſt Conſideratione quarta Præparationis remotæ.

## *SECVNDA PARS.*

*Secunda Pars Miſſæ Inſtructiua.* SEcunda pars, quæ eſt inſtructiua populi, continet tria: Epiſtolam, Euangelium, & Credo. Etenim officium Sacerdotis non ſolùm eſt orare pro populo; verùm etiam prædi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Prædicatio Exod. 28.*

prædicare & inſtruere *de faciendis & credendis*: neq; ſudore duntaxat, ſed proprio etiam ſanguine ſigillare prædicationem Evãgelii. Quocirca Deus in Exodo pręcipiebat, vt veſtis Summi Sacerdotis tota eſſet repleta tintinnabilis: *Et cum ingreditur, & egreditur Sanctuarium, in conſpectu Domini audiatur ſonitus & non moriatur.* Hic ſonus denotat prædicationem Evangelicam. *Et ſimul cum tintinnabilis erant mala punica*, coronam, ſymbolum, vtpotè, Martyrii, ſignificantia; prædicatio namque Fidei proprii ſanguinis effuſione confirmanda eſt, vti ſuprà dictum eſt.

*Martyriũ.*

## TERTIA PARS.

*Tertia Pars Miſſæ Celebratiua.*

IN tertia Miſſæ parte, quæ eſt Celebratiua, continetur Offertorium vſque ad Communionem excluſiuè.

*Offertoriũ.*

1. Conſidera, quomodò in Offertorio quatuor veniant ſub conſiderationem. Quis offert? *Ego indignus famulus tuus.* Cui offert? *Deo meo viuo & vero.* Quid offert? *Hanc immaculatam hoſtiam.* Pro quibus? *Pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis atq; defunctis.* Vltra hoc, tria corda offeres Patri æterno in hoc actu. Primum erit cor Chriſti lanceâ tranſuerberatum: ſecundùm erit cor B. Virginis doloris gladio ſauciatum: tertium erit tuum cunctorumque peccatorum cor ſcelerum vlceribus repletum.

*Mixtio aquæ S. Tho.*

2. Conſidera, mixtionem aquæ cum vino in calice tria habent ſignificata. Primò ſignificat Sanguinem & aquam è latere Chriſti profluxam. Secundò, vnionem animæ cum Chriſto mediâ Fide in præſenti vita. Tertiò, eandem & maiorem vnionem mediâ æternâ Gloria in futura vita: *Redundat Aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.*

*S. Ambroſ.*

*Offertoriũ. Calicis.*

3. Sub Offertorio Calicis conſidera illa verba: *Calicem ſalutaris.* Principium enim ſalutis eſt ſolus Sanguis Chriſti. Rogabis Sanctiſſimam Virginem, vt efficaciter illum applicet *pro noſtra & totius Mundi ſalute.*

*Humilitas.*

4. Sub Orationibus: *In ſpiritu humilitatis*, & *Veni Sanctificator*, conſidera, qua ratione, vt hæc oblatio ſit accepta & grata Deo, ex parte noſtra requiratur humilitas quædam profundiſſima: ex parte Dei gratia, ignisque Spiritus ſancti.

*S.Tho. 3.p. q.83.*
*Lotio manuum.*

5. Ablutio manuum fit *& propter decentiam, & propter ſignificationem; quia, ſecundùm Dionyſium, extremitatum ablutio ſignificat emundationem etiam à minimis peccatis.* Similem puritatem & munditiem Chriſtus quadam vice monſtrauit S. Franciſco in ſpecie cuiuſdam puriſſimæ ac limpidiſſimæ aquæ.

*Oratio ad SS. Trinit.*

6. In Oratione, *Suſcipe ſancta Trinitas*, recordaberis primò Sanctiſſimæ Trinitatis. Secundò Paſſionis Chriſti: hæc enim, quæ celebratur in Miſſa realis non eſt, ſed Sacramentalis. Tertiò memor eris Sanctiſſimi Sacramenti. Quartò, Beatiſſimæ Mariæ Virginis. Quintò reliquorum Sanctorum, & in ſpecie Angeli Cuſtodis tui. Et hos deuotionis actus ordine iſto petes à B. Virgine propter merita ſui Filii, exercendo & conuerſando illos in corde tuo.

*Orate fratres.*

7. Sub *Orate fratres.* Sacerdos non Sanctorum duntaxat; ſed etiam hominum ſe commendet precibus, neceſſe eſt.

*Præfatio.*

8. Acclamatio in Præfatione facta Chriſto in ingreſſu vrbis Hieroſolymitanæ, & *Surſum corda* deſignans, & innuūt, *vt nihil cogitetur à Sacerdote, & populo, niſi Deo.*

*S.Thom.*

*Durand. lib. 4. c. 36.*
*Innoc. expoſ. 3 p.*
*S.Th. 3.p. q. 38. art. 7. ad 3.*

9. Deindè incipit ſacer Canon, nempè Regula, qui vitam noſtram conformare debemus Paſſioni Chriſti. Et dicitur etiam *Actio*, quia in Miſſa *agitur cauſa noſtræ ſalutis cum Deo.* *Secreta*, quia in ſecreto cordis, in quo tota Chriſti Paſſio repræſentatur, conſeruari debet. Quapropter Prouidentiâ Diuinâ ita diſponente ſumit initium à littera T Crucis, vtpotè, figurâ & ſymbolo. Ob eundem finem, vt notat & obſeruat S. Thomas, tantæque diuerſæ Cruces formantur à Sacerdote; id enim, quod fit in Miſſa, *eſt ex Paſſione, & ad Poſſeſſionem*, quia quod impetrat, ex merito Sacrificii Crucis eſt, totumque ordinatur ad repræſentandum hoc idem Paſſionis Sacrificium. Qua de cauſa cum Canonis [illegible] dium, cogita, te non ampliùs huius Mundi incolam, ſed totum eſſe veluti immerſum & abſorptum in vaſtiſſimo pelago Sanguinis Chriſti, adeòque cōmendabis te Angelo tuo Cuſtodi, ſanctiſſimæ Virgini, vt ſpecialem & particularem, qualem iſtud myſterium, de quo agitur, exigit, obtineas deuotionem. In prima Canonis parte ro-

gatur

gatur Pater æternus *per Ieſum Chriſtum*, per Paſſionem eius & meritum, quod veluti quendam gratioſiſſimæ myrrhæ faſciculum repræſentabis Patri æterno in odorem ſuauitatis, & in ſignum, quod recognoſcas omne bonum pullulare ex meritis Paſſionis & Crucis, oſculaberis altare, & pro Eccleſia orabis. Huius figura extitit ſummus Sacerdos, qui non intrabat *Sancta Sanctorum*, niſi ſimul cum ſanguine victimæ; & Chriſtus ſummus Sacerdos *per proprium Sanguinem introiuit in Sancta, æternâ redemptione inuentâ*. Hebr. 9. In ſexta parte Canonis, *Qui pridiè &c.* finita conſecratione meditaberis quinque vulnera, tanquam quinque abundantiſſima flumina vndequaque ſeſe diffundentia modo ſuprà dicto: & pro applicatione exorabis ſanctiſſimam Virginem Sanguinis illius diſpenſatricem. Poſt conſecrationem ſubitò tres formabis actus: primum adorationis *Adoramus* te Chriſte &c. ſecundum petitionis, petendo tria ſuprà etiam memorata, dicendo: Gratia, Domine, Sanctitas & Gloria: tertiò poſtulabis gratiam Martyrii dicendo; *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Largire, amantiſſime Ieſu, vt quem à te hauſimus ſpiritum, pro tua gloria, te adiuuante, reddamus.* S. Greg. 21. In ſeptima parte, videlicet, in conſecratione Calicis idem facies, mutando ſolùm orationem, *Adoramus te Chriſte*, cum illa, *Te ergò, quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo Sanguine redemiſti.* Et hæc non ore, ſed corde dicenda ſunt.

## QVARTA PARS.

Quarta pars Miſſæ eſt perceptiua, & continet *Agnus Dei* cum orationibus ſubſequentibus, nec non Communionem ipſam. Ubi conſidera, quod illud, quod primò *offerebatur, vt Sacrificium, in ſalutẽ aliorum*, modò ſumatur tanquàm Sacramentũ. Ac primò ſumit ipſe Sacerdos, poſtea diſtribuit aliis: quia *qui aliis Diuina tradit, primò debet ipſe particeps eſſe.*

*Quarta Pars Perceptiua.* *S. Tho. q. 83 a. 4.* *S. Dionyſ.* *S. Tho. loc. cit.*

## QVINTA & VLTIMA PARS.

Quinta pars eſt gratiarum actiua. Quia *tota Miſſæ celebratio*, vt docet S. Thomas, *in gratiarum actione termi-*

*Quinta Pars. Gratiarũ actio.*

*terminatur* , *populo exultante pro ſumptione Myſterii, & Myſterii, & Sacerdote per orationem gratias offerente: Si-*
Matth. 26. *ut & Chriſtus, celebratâ cœnâ cum diſcipulis, hymnum di-*
*xit.* Et hæc eſt vltima pars & finis Miſſæ.

## Poſt Miſſam.

### Consideratio I.

IN gratiarum actione poſt Miſſam immediatè rogabis Chriſtum D N intra te præſentem, vt tanquàm ſacrificium cedat in gloriam Dei, totiusque Mundi ſalutem, frequenter replicando tria hæc verba: Gratia, Domine, Sanctitas & Gloria, modo ſupra dicto; & tanquàm Sacramentum cedat in vtilitatem tuam, eliciendo actus Fidei, Spei, & Charitatis in Chriſtum, & ſanctiſſimam eius Matrem, dicendo: Credo, Spero, Amo te, Jeſu dulciſſime: Credo, Spero Amo te, Maria dulciſſima. Unde & precaberis ſanctiſſimam Virginem, vt tibi efficaciter applicet pretioſum ſui Diuini Filii Sanguinem. Recolendo etiam memoria effuſiones Sanguinis Chriſti deprecaberis eundem, vt ſeptem virtutes eis correſpondentes tibi elargiatur. Simulque vota tua renouabis.

### Consideratio II.

STatio ſeu domicilium, in quo die iſto tibi commorandum eſt, erit altare, vbi manè celebraſti: *Altaria tua, Domine, virtutum, Rex meus, & Deus meus.* Unde præcipuè te occupabis in ſacrificando & communicando, nimirùm, ſpirituali modo, in cooperando effectibus Sacrificii & Sacramenti, in præſtando opem, tam ſpiritualem, quàm temporalem proximo tuo. Quare frequenter dices: *Immolo Deo ſacrificium laudis, pro noſtra & totius Mundi ſalute, in odorem ſuauitatis, Amen. Panem cœleſtem accipiam, & nomen Domini inuocabo. Diuinorum Diuiniſſimum cooperari* Diuiniſſimo Sacramento *in ſalutem animarum.* Et præterea ſæpè repetes verba iſta: Gratia, Domine, Sanctitas, & Gloria, orando, ac imaginando tibi, ac ſi ſtares ante altare modo ſuprà dicto.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Consideratio III.

INſtar legalis Sacerdotis, qui fuit figura Sacerdotis Evangelici te geres. Primò debes eſſe puriſſimus, totus Cœleſtis & Crucifixus. Has virtutes indicatoria illa Sacerdotis veſtimenta, veſtis alba ſine ruga Hyacinthina coloris cœleſtis, & ſuperhumerale, quod vocant *Ephod*, & dicitur Crux. Et tintinnabula cum malis punicis ex oris ſecundæ veſtis propendentia ſignificant, quod alios concionibus & exhortationibus proprio etiam ſanguine ſigillatis & confirmatis ad patriam cœleſtem pertrahere debeas. Secundò magnam ergà proximum exhibebis charitatem, illuminando cum doctrinâ & exemplo tuo, Idque ſignificabat veſtimenti illius geſtatio, quod geſtabat Sacerdos in humeris & ante pectus ſuum, cui inſcripta erant nomina filiorum Iſrael, & verba illa *Doctrina & Veritas*, Rationali judicij appoſita. Ultimò tribus, iiſque continuis occupaberis exercitiis: Paſſionis Christi, orationis, & mortificationis ſignificatis nomine *Iehoua*, quod in fronte ferebat ſummus Sacerdos, idemque ſonat, quod *Ipſe principium Paſſionis vitæ*, & incenſo, quod vnâ manu geſtabat, & ſanguine Agni, quem alterâ tenebat manu. Exod. 28.

## Consideratio IV.

SEmper oculis mentis tuæ quinque iſta obverſabuntur exercitia devotionis: ergà ſanctiſſimam Trinitatem: Paſſionem Christi: ſanctiſſimum Sacramentum: Beatiſſimam Virginem, & Angelum Cuſtodem tuum, dicendo continuò: Laudata & benedicta ſit ſemper ſanctiſſima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: ſanctiſſima Paſſio Domini mei Jeſu Chriſt: ſanctiſſimum Sacramentum: ſanctiſſima Mater Dei: Angelus meus Cuſtos cum tota cœleſti Curia per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Agendo ſimul gratias pro Sacrificio Miſſæ peracto, & petendo gratiam pro futuro celebrando.

### Consideratio V.

COnſiderabis, Miſſam die ſequenti celebrandam fore vltimam totius vitæ tuæ, iſtaque celebrata ſubitò tibi ex hac vita migrandum eſſe. Quare inſtantibus precibus ſollicitabis ſanctiſſimam Virginē, vt impetret tibi gratiam, qua dignè feruenterque ad eandem te præpares ac diſponas. Et, ut paucis plura complectar, & concludam, veluti etiam bene aduertit Carthuſianus: *Tota conuerſatio Sacerdotis & continua debet eſſe in præparatione, & gratiarum actione*: voluendo ſemper animo vnum ex his vocabulis, *Celebraſti*, vel *Celebrabis*, eorundem ponderando & penetrando ſignificata.

*Carthuſ. de Sacram. Altar. a. 9.*

## PRÆROGATIVÆ SACROSANCTI SACRIFICII MISSÆ.

### Prærogativa I.

*Chriſtus Inſtitutor.*

INſtitutum fuit immediatè à Chriſto D. N. in vltima Cœna proferente verba illa conſecrationis efficacia & plena myſteriis: *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis &c.* Et hæc fuit prima Miſſa, quæ celebrata fuit in Eccleſia Dei, cui S. Petrus adiunxit Orationē Dominicam. Deinde ab aliis Pontificibus, veluti à Gelaſio, Celeſtino, Gregorio aucta fuit Miſſa eo modo, quo iam celebratur. Cōſidera finem, quem habuit Chriſtus in hac inſtitutione, & fuit iſte, vt cum ſuis viueret, moreretur ſemper pro nobis, quod, cùm in effectū modo cruento deducere non poſſet, executus eſt modo incruento & Sacramentali; tùm etiam vt nos ditaret pretioſis theſauris meritorum Paſſionis ſuæ. Gratias refer tanto tamque eximio Benefactori, tantumque Amorem viuo ſemper & efficaci affectu imitari procura.

*1. Cor. 11. Dur. lib. 4. c. 1.*

### Prærogativa II.

*Idem eſt cum Sacrificio Cœnæ.*

SAcrificium Miſſæ non diſcrepat nec differt à Sacrificio Cœnæ. Etenim conueniunt in principali Offerente qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

te qui eſt Chriſtus: in re oblata, quæ eſt Corpus Chriſti: & in modo offerendi, qui eſt incruentus. Differunt ſolummodò in nonnullis accidentalibus circumſtantiis. Chriſtus namque in Cœna ſolus ſacrificauit: in altari ſimul ſacrificat cum Sacerdote, tanquam cum miniſtro ſuo. Chriſtus in Cœna conſecrauit in memoriam Paſſionis futuræ: in altari conſecrat in memoriam Paſſionis præteritæ. Chriſtus in cœna fecit actum non impetratorium duntaxat; verùm etiàm ſatisfactorium & meritorium: in altari ſolùm impetratorium. Conſidera Sanctorum Apoſtolorum affectum in participatione Sacrificii Cœnæ, eundem affectum imitare in participando, ſpirituali & ſacramentali modo, Sacrificio Miſſæ.

## Prærogativa III.

### *Idem eſt cum Sacrificio Crucis.*

SAcrificium Miſſæ & Crucis vnum & idem Sacrificium eſt: enimuerò conueniunt in principali Offerente, & in re oblata. Differunt in modo offerendi: quia Sacrificium Crucis fuit cruentum, Altaris eſt incruentum: Quapropter Sacrificium Miſſæ plus differt à Sacrificio Crucis, quàm à Sacrificio Cœnæ. Vndè affirmari poteſt, Sacrificium Crucis inter & Altaris non ſolam intercedere differentiam accidentalem, neq; eſſentialem, ſed ſubſtantialem, iuxta diuerſum modum offerendi, uti dictum eſt.

## Prærogativa IV.

### *Dat efficaciam Paſſioni Chriſti.*

SAcrificium Miſſæ eſt applicatiuũ virtutis Sanguinis & Paſſionis Chriſti: vndè concurrit ad omnes effectus Gratiæ; at modis diuerſis. Eſt ſatisfactiuum *immediatè, per modum immediatæ ſolutionis*, applicando ſatisfactionem Chriſti, veluti contingit in Miſſa pro Defunctis, verùm ad alios effectus meriti, contritionis & huiuſmodi ſimiles concurrit *mediatè*: enimuerò infallibiliter impetrat auxilia ſupernaturalia, aut ſufficientia, aut efficacia, ad for-

ad formandos actus contritionis, ad opera meritoria & ſatisfactoria. Ratio eſt, quia Sacrificium Miſſæ offertur in perſona & nomine Chriſti, qui pro ſtatu præſenti nec promereri, neque de nouo ſatisfacere; ſed ſolùm orare & impetrare poteſt hoc, quod promeruit, & pro quo ſatisfecit in Cruce. Igitur virtus Sacrificii Miſſæ ſolùm impetratoria eſt, ſed gratiarum omnium, & pro omnibus neceſſitatibus tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus; eſt ſatisfactoria, non de nouo, ſed ſoluendo & applicando ſatisfactionem Chriſti. Conſidera igitur, quâ ratione in hoc Miſſæ Sacrificio conſiſtat tota virtus & efficacia, vti & fructus Sacrificii Crucis. *Per hanc in-*

Trid. ſeſſ. 22 c. 2. *cruentam oblationem vberrimè incruentæ oblationis fructus percipiuntur.* Jam verò, ſi tempore crucifixionis Chriſti præſens ſimul fuiſſes in monte Caluariæ; quanto cum deſiderio, quantâ etiam reuerentiâ vnius ſaltem ſtillæ pretioſi illius Sanguinis particeps fieri ſtuduiſſes? Eodem affectu nunc aſſiſtere deberes Sacrificio Miſſæ, vbi non vnica duntaxat guttula, ſed totus Chriſti Sanguis cum Corpore, cum Anima, cum Diuinitate Chriſti participatur.

## Prærogativa V.

### *Operatur infallibiliter.*

MOdus concurrendi Sacrificii Miſſæ *eſt ex opere operato.* Duobus ſiquidem modis Sacerdos conſiderari poteſt. Primò, ratione perſonæ, & ſi eſt in ſtatu Gratiæ, in actu ſacrificandi meretur, ſatisfacit, & impetrat *opere operantis*: quod ſi non eſt in ſtatu Gratiæ, nullum horum effectuum aſſequitur. Secundò, ratione officii, in quantum ſacrificat in perſona & nomine Chriſti, & tanquàm eius Legatus: & vt talis, independenter à propria ſanctitate, infallibiliter confert remiſſionem pœnæ *non ponenti obicem.* Ratio eſt, quia offert in perſona Chriſti, principalis Offerentis, cui nullam rem Pater æternus denegare poteſt: quemadmodum, ſi quidam inimicus & hoſtis Principis rogaret nomine alicu-

ius perſonæ, cui Princeps haud poſſet deeſſe, aut quidquam denegare; infallibiliter impetraret etiam vt inimicus. Præterea fundatur hic modus operandi *ex opere operato*, in promiſſione Chriſti, quæ habetur per traditionem Eccleſiæ, in quantum admittit opus operatum in Sacrificio Miſſæ, ſicuti etiam in Sacramentis: ſecus Sacrificium Eccleſiæ non eſſet ita perfectum veluti Sacramenta: Probatur quoque ex Tridentino: *Inſtituit Chriſtus hoc Sacrificium, vt per illud applicaretur nobis virtus ſuæ Paſſionis, ergò ex opero operato.* Quam ob cauſam ſemper in Miſſa exorabis Patrem æternum, *vt reſpiciat in faciem Chriſti ſui*, qui eſt principalis Offerens, & non reſpiciat peccata offerentium minùs Principalium, Sacerdotis, videlicet, & populi. Trid. Seſſ. 22.

## Prærogativa VI.

### *Eſt teſſera, ſeu ſymbolum Fidei.*

Sacrificium Miſſæ teſſera eſt, & ſignum Religionis Chriſtianæ. Quemadmodum Chriſti Eccleſia vna eſt, ita vnum eſt Sacrificium, per quod cognoſcitur Deus, eique debitus exhibetur cultus Latriæ. Etenim non ſolùm diligendus eſt, vt ſupremus Princeps; verùm etiam tanquàm primum principium, & finis vltimus à quo omnia dependent, adorandus eſt. Hic cultus fundatus eſt in tribus actibus: primus eſt actus intellectus, quo cognoſcimus Diuinam Excellentiam in ratione primi principii & vltimi finis, à quo cuncta dependent, & propriam vtilitatem, propriamque ſubiectionem & ſeruitutem. Secundus eſt actus voluntatis quæ vult, & acceptat talem ſeruitutem & ſubmiſſionem. Tertius eſt actio externa ſacrificandi ad indicandam Diuinam Maieſtatem, humanamque ſubiectionem ordinata.

## PRÆROGATIVA VII.

### *Eſt Signum myſticum Paſſionis Chriſti.*

QUia Sacrificium Miſſæ non moralem duntaxat habet ſignificationem, in quantum internum animæ actum Diuinæ excellentiæ humanæq; ſubiectionis proteſtatiuum ſignificat; ſed etiam myſtica occulti cuiuſdam myſterii ſupernaturalis gaudet ſignificatione; quia per inſtitutionem Chriſti ordinatum fuit ad ſignificandam ac repræſentandam ſanctiſſimam Paſſionem ſuam. Propterea de eſſentia Sacrificii eſt conſecratio ſub vtraque ſpecie, cùm non habeatur expreſſa Paſſionis Chriſti repræſentatio, niſi per vtramque conſecrationem & panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem. Quamobrem conſidera, cum quanta reuerentia & deuotione tibi aſſiſtendum ſit venerando Miſſæ Sacrificio: profundè excitando memoriam Paſſionis & Mortis Saluatoris: deſiderando fieri particeps meritorum fructusque pretioſiſſimi ſui Sanguinis.

## PRÆROGATIVA VIII.

### *Eſt Sacrificium Sacrificiorum.*

EÂ de cauſa tali illud compello nomine, quia cuncta primitiuæ Eccleſię Sacrificia eminenter continet. In quantum eſt Honorarium, continet Holocauſtum: in quantum Euchariſticum, continet *Hoſtiam* pacificam quæ erat pro beneficiis datis, vel dandis: in quantum eſt *Propitiatorium pro peccatis*, quia remittit culpam & pœnam (ſed culpam *mediatè*, impetrando quendam contritionis actum, & pœnam *immediatè per modum ſolutionis* applicando ſatisfactionem Chriſti) continet *Hoſtiam pro peccatis.* Quod ſi igitur Patres antiquæ legis ſummâ deuotione & reuerentiâ ſua operati fuêre Sacrificia, quantâ maiori veneratione ac deuotione hoc, quod illa continet, infiniteque ſuperat, peragere debemus?

CON.

## PRÆROGATIVA IX.

### *Chriſtus Sacerdos per ſeipſum.*

CHriſtus non tantùm ad Sacrificium Miſſæ concurrit per Sacerdotem, tanquàm per Legatum ſuum; verùm etiam per ſeipſum : totum namque illud agit, quod à vero quodam Sacerdote requiritur.. Primò, intellectu recognoſcit Excellentiam Naturæ Diuinæ, & ſubiectionem ſuæ Naturæ Humanæ. Secundò, voluntate vult & acceptat huiusmodi ſubiectionem. Tertiò Humanitate ſuâ, veluti ſuo Inſtrumento actualiter cōcurrit ad conſecrationem, ordinando actionem illam & Corpus ſuum ſanctiſſimum ad gloriam Dei; repræſentando ad eundem finem Paſſionem ſuam. Et hoc modo meliùs ſaluatur, quomodo nunc etiam Chriſtus ſit verus Sacerdos: vt enim mediante Legato ſuo ſacrificaret, ſatis eſſet, quod in cœna ipſe egiſſet Sacerdotem, & modò Sacerdos conſecraret in perſona eius. Secundò, ſacrificium Miſſæ redditur magis honoratiuum Patris; quemadmodum longè maior accreſceret honor Pontifici, ſi non ſolùm ab illo Legato; ſed etiam immediatè ab ipſamet Regis perſona honoraretur. Tertiò, Chriſtus proprium efficitur exemplar ab aliis Sacerdotibus imitandum. Rogabis igitur, vt tanquàm ſummus Sacerdos, & *Sacerdos in æternum* efficaciter tibi applicet ſanctiſſimum Corporis & Sanguinis ſui Sacrificium : cum hac namque applicatione omnem obtinebis gratiam & ſalutem.

## PRÆROGATIVA X.

### *Offertur ab omnibus.*

IN cuius rei ſignum Sacerdos in Canone vtitur numero plurali, dicens: *Hanc igitur oblationem, quàm tibi offerimus.* Primò, quia *omnes fideles faciunt vnum corpus.* Et quamuis *in toto naturali* denominatio partis attribuatur etiam toto; at non comparti (ſic videre attribuitur oculo, & homini; ſed non pedi) nihilominùs in hoc toto myſtico & morali, quia omnes partes ſunt ſuppoſita eiusdem denominationis capacia, actus offerendi & ſacrificandi attribui poteſt omnibus partibus. Secundò, per

dò, *per quandam voluntatem, licet non actualem virtualem tamen & interpretatiuam*, fundatam in eſſe Chriſtiano; enimuero omninò cenſendum eſt, quemlibet Chriſtianorum velle ac optare, vt Sacrificium Miſſæ offeratur etiam nomine ſuo. Sed magis propriè & ſpecialiter illi dicuntur offerentes, qui aliquo modo, & quâdam æternâ actione Sacerdoti cooperantur: Cùm enim hoc Sacrificium ſit *in genere ſigni ſenſibilis*, non ſufficit actio interna; ſed inſuper requiritur actio externa. In quo ſenſu cum Sacerdote offerre dicuntur, *dantes ſtipendium, miniſtrantes, aſſiſtentes*, & omnes illi, quotquot ſtudent, & procurant celebrationem Miſſæ.

## Prærogativa XI.

### *Offertur pro omnibus.*

QUia eſt Sacrificium publicum & vniuerſale, offerturque à Sacerdote, *vt eſt medium inter Deum & Eccleſiam.* Quapropter dicitur in Canone: *Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica, & omnibus orthodoxis atq; Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei cultoribus.* Neque Sacerdos aliam intentionem habere poteſt, qui in celebratione tenetur obſeruare ritum Eccleſiæ. Et hoc intelligitur de Sacrificio, *vt eſt Propitiatorium, ſeu Satisfactorium, & Impetratorium*: quia, *vt eſt Honorarium & Euchariſticum* Deo duntaxat offertur.

## Prærogativa XII.

### *Fructus & effectus Sacramenti Vniuerſalis.*

QUanquàm valor Sacrificii Miſſæ ſit infinitus, in infinitâ Perſonæ Chriſti dignitate fundatus; fructus tamen & effectus finitus eſt: quia finito modo applicatur, & promittitur à Chriſto. Ac proptereà, quando offertur pro multis, diuiditur, & *eò minor eſt in ſingulis*; aſt, quandò à multis offertur, non diuiditur; ſed multiplicatur, quemadmodùm multiplicantur actiones offerentium; alioquin minùs participaret de fructu Miſſæ, qui aliis ſociis præſentibus eam audiret, quàm is, qui ſolus eandem auſcultaret.

Perſo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Perſonæ, quæ fructus Miſſæ particeps fieri poſſunt, ſunt in triplici ordine. In primo eſt Sacerdos. In ſecundo ii, qui actu aliquo Sacrificio Miſſæ cooperantur. In tertio cæteri omnes Chriſtiani.

Sacerdos tribus modis participat de fructu Miſſæ. Primò, *ratione officii*, & tanquàm miniſter publicus: & hunc fructum, quem vocant ſpecialem, tenetur Sacerdos applicare ei, pro quo celebrat, & à quo recipit ſtipendium: quia, cùm tanquàm publicus miniſter hunc recipiat fructum, debet eum dare communicati: &, quia eſt indifferens, applicare debet eundem vel huic, vel iſti in particulari: & deficiente hac applicatione *ex intentione virtuali*, remanet applicatus ſibiipſi, vel theſauro Eccleſiæ. Secundò, *ratione perſonæ*, & tanquam perſona priuata: & hunc fructum, quem vocant Specialiſſimum, nõ tenetur, imò (vt alii volunt) non poteſt applicare aliis, quia eſt effectus *ex opere operato* perſonalis, ſicut eſt ſatisfactio Indulgentiæ, Abſolutionis Sacramentalis, & Cõmunionis Euchariſtiæ. Tertiò, *ratione perſonæ ex opere operantis*, & hanc ſatisfactionem applicare poteſt.

Secundò, fructus ex opere operato fiunt quoque participes, qui aliquo modo cooperantur Miſſæ: & qui plùs cooperatur, plùs etiã participat. Sicq; plùs lucratur miniſtrans Sacrificio Miſſæ, quam qui ſolùm eidem aſſiſtit.

Tertiò, participant etiam de fructu *ex opere operato* omnes fideles, viui & defuncti iuxta propriam eorum capacitatem: quia pro omnibus offertur, pro omnibus infallibiliter impetratur, *niſi ponant obicem*. Qui in peccato mortali conſtitutus eſt, recipit *ex opere operato* Gratiam ſufficientem, aut efficacem, vt eliciat actus contritionis. Qui eſt in ſtatu Gratiæ, recipit pariter Gratiam actualem, aut ſufficientem, aut efficacem ad faciendos actus meritorios, ſatisfactorios & impetratorios. Satisfactionem duobus recipit modis: *& immediatè per modum ſolutionis*, ex ſatisfactionibus Chriſti in theſauro Eccleſiæ repoſitis: *& mediatè* operando actus ſatisfactorios Gratiam quoque, aut ſufficientem, aut efficacẽ recipit ad deteſtanda peccata venialia. Poſtremò animæ exiſtentes in Purgatorio recipiunt etiam fructum ex opere operato remiſſionis pœnæ, *per modum ſolutionis & immediatè*, absque vllo proprio earundem actu. In quo

differt defunctus à viuente, quod hic recipiat remiſſionem pœnæ, *non ſolùm per modum abſolutionis*, ſed etiam *per modum impetrationis*, impetrando vires, quibus ſatisfaciat: quamuis, ſi impetratio intelligatur in ordine ad ſatisfactionem Chriſti; cùm illa applicatur, poſſit quoque effectus eſſe communis omnibus, & viuentibus, & animabus defunctorum. Et in hoc ſenſu viuens ſatisfactionem recipit tribus modis: nempè, *immediatè* per ſatisfactionem Chriſti: mediatè, operando actus ſatisfactorios: & *impetratiuè*, impetrando vires, quibus ſatisfaciat: defunctus duobus modis: videlicet, per modum abſolutionis, & per modum impetrationis, applicando ſibi ſatisfactionem Chriſti.

Petet aliquis; quis fructus correſpondeat Chriſto tanquàm Sacerdoti? Cui reſpondeo, Chriſtum D.N. duobus modis conſiderari poſſe; primò conſideratur, tanquàm Offerens principalis, & tunc ſicut eſt vna oblatio Sacerdotis & Chriſti: ita quoque vnus eſt fructus, cuius applicationem Chriſtus remiſit Sacerdotis intétioni. Secundò poteſt conſiderari, veluti Offerens particularis, *ſecundùm oblationem perſonalem per proprium actu internum*: & in hoc ſenſu proprium diſtinctumque recipit impetrationis fructum: & quandò voluntas abſoluta eſt, infallibiliter impetrat, pro quo vult.

Addunt nonnulli (veluti Scotus) quod habeat quoq; fructum ſatisfactionis non quidem de nouo; ſed applicando antiquam Crucis ſatisfactionem, cui vult, & pro quo vult. Cuius ratio eſſe poteſt, quia, ſicut eſt proprius Sacerdos, non ſolùm tanquàm Offerens Vniuerſalis; verùm etiam tanquàm particularis & perſonalis: ita quoque proprium habere debet fructum perſonalem, diſtinctum à fructu Sacerdotis, & ille eſt fructus remiſſionis pœnæ, vt eam applicet cui vult. Neque dicas; applicatio ſatisfactionis theſauri Eccleſiæ de lege ordinaria non fit, niſi per ſigna ſenſibilia Sacrificii, & Sacramentorum: neque, inquam, id dicas: quia ad conſecrationem externam ſenſibilem per ſpecies & verba Sacerdotis concurrit etiam Chriſtus cum inſtrumento Humanitatis ſuæ: & illud ſignum ſenſibile, quod ſufficit, vt Chriſtus ſit verus Sacerdos, tanquã perſona particularis; ſufficiet quoque, vt recipiat proprium ac diſtinctum Miſſæ fructum.

PRÆ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## PRÆROGATIVA XIII.

### *Eſt Sacrificium infinitum* intenſiuè, & extenſiuè.

HOc Sacrificium tale eſt, vbi propoſui: quia, cùm offeratur à Chriſto, tanquàm à Cauſa & Offerente principali, vel à Sacerdote in perſona Chriſti, quod idem eſt; ideò propter infinitam dignitatem perſonæ offerentis Sacrificium habet infinitam intenſionem in actu primo, & quantùm ad valorem: tametſi in actu ſecundo, & in effectu finitum ſit, propter finitam Sacerdotis applicationem. Pater æternus reſpiciendo Sacerdotem, non ſiſtit in illius perſona; ſed tranſit ad Perſonam Chriſti infinitè dignam. Propter eandem rationem eſt infinitum *extenſiuè*, ſicut & in actu ſecundo reſpectu Offerentium. Undè, ſi in infinitum hi multiplicarentur; in infinitum etiam cuilibet accreſceret fructus finitus *intenſiuè* Sacrificii. Et ratio eſt, quia, vt ſuprà inſinuaui, quemadmodùm multiplicantur offerentes, ita quoque actiones, quæ ſunt rationes proximæ applicatiuæ ſatisfactionum, multiplicantur cæteroquin, qui in comitatu plurium perſonarum audiret Miſſam, minorem illius perciperet fructum, contrà vſum & ſenſum Eccleſiæ. Sacerdos deindè, eſto realiter non ſit Chriſtus, nihilominùs eſt Chriſtus *myſticè* & *repræſentatiuè* quare eundem habet effectum, eâdemque gaudet dignitate Chriſti. Undè hæc ei incumbit cura, vt Chriſtum non repræſentet duntaxat in poteſtate conſecratiuâ; verùm etiam in vita & moribus.

## PRÆROGATIVA XIV.

### *Eſt Sacrificium, & Sacramentum.*

QUemadmodùm eadem Sacerdotis actio ſimul eſt *Sacrificatio & Sacramentatio*; ita eſt ſimul Sacrificium, *in quantùm offertur in Dei gloriam*, & eſt Sacramentum, *in quantùm ſumitur in noſtram vtilitatem.* Neceſſariamque connectionem habent Sacrificium & Sacramentum: non quod Sacramentum ſit pars eſſentialis Sacrificii, ſiquidem hoc *perficitur in conſecratione ſolâ vtriusq; ſpeciei* (tùm quia Chriſtus eſt principalis

Offerens, & Sacerdos ſolùm verba conſecrationis dicit in perſona Chriſti; tùm etiam, quia ſola conſecratio continet tàm moralem, quàm myſticam ſignificationem, vti ſupra dictum eſt) ſed quia Sacramentum connexum eſt cum Sacrificio veluti terminus, Sacerdos enim obligatus eſt, tenetúrq; *per Communionem* ſeipſum reddere participem fructus Sacrificii, Et hic eſt ordo Diuinæ Prouidentiæ, perfectæque Charitatis: primò, vt quæratur & promoueatur gloria Dei: ſecundò vtilitas ſpiritualis propria; tertiò vtilitas ſpiritualis Proximi:
*S. Dionyſ. c. 4.* *Priùs debet ipſe ſumere, deindè cæteris diſpenſare: vt ſit Diuinorum diſpenſator, quorum priùs ipſe debet eſſe particeps.*
*S. T. 3. p. q. 82.* Præterea quantùm ad eſſentiam, primum eſt Sacramentum, quia in qualibet ſpecie ſaluatur Sacramenti eſſentia, quæ cõſiſtit *in refectione, & in ratione cibi*: aſt eſſentia Sacrificii poſtulat conſecrationem vtriusque ſimul ſpeciei, propter expreſſam Paſſionis Chriſti repræſentationem. Secundò, quantum ad integritatem, ſimul ſunt, quia *refectio, vt ſit completa & integra,* requirit panem & vinum ſimul, nempè, Corpus & Sanguinem. Tertiò, quantum ad effectum, præcedit effectus Sacrificii, qui conſiſtit *in fieri*: quia conſiſtit *in actione*, & effectus Sacramenti conſiſtit *in vſu*: tametſi effectus Sacramenti etiam præcedere poſſit, eſto non licitè, ſi quis ſumeret Hoſtiam conſecratam ante vini conſecrationem.

## PRÆROGATIVA XV.

### *Eſt Sacrificium Figuratiuum.*

SIcut Sacrificium Miſſæ eſt ſecundùm cultum internum, qui conſiſtit in illa recognitione Diuinæ Excellentiæ, propriæque ſubiectionis, vti ſupra diximus; & ſecundùm cultum externum, qui conſiſtit in ritu Eccle-
*S. Th. 1. 2. q. 101.* ſiaſtico, & aliud non eſt, quàm *vſus cæremoniarum ad cultum Dei ſpectantium, & ſecundùm Fidem*; ita quoque *in genere ſigni* eſt figura Sacrificii futuri in Patria. Cultui interiori ſuccedet viſio clara, Amor, & Gaudium Beatificum Dei: & Cultui exteriori ſuccedet Laus Dei:

*Gaudium & lætitia inueniuntur in ea: gratiarum actio, & vox laudis.* *Iſa. 51.* Adhæc, cæremoniæ Eccleſiaſticæ tres habere poſſunt ſignificationes: moralem, allegoricam, anagogicam: veluti cæremonia illa, quâ aqua miſcetur vino, primò, ſignificat vnionem animæ cum Chriſto: Secundò, emanationem Sanguinis & Aquæ ex latere Chriſti: tertiò, introductionem in Gloriam, quæ Sacrificii finis eſt. Redundat aqua in Calicem, & ſalit in vitam æternam. *S. Ambroſ.*

# FINIS.

ALOYSII
SIDERERI
Tomus I
OV

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN